Collection de la Bibliothèque des Exercices
de saint Ignace

Études et documents
paraissant tous les deux mois

N° 91
Janvier 1925

Exercitia spiritualia

a P. J. B. Cecotti

proposita



Bibliothèque des Exercices
7, Rue des Augustins,
ENGHIEN (Belgique)

Librairie Spes
17, Rue Soufflot,
PARIS (v)

Voir au verso Avis très importants.

COLLECTION DE LA BIBLIOTHÈQUE DES EXERCICES

Avis très importants

CONDITIONS D'ABONNEMENT.

Pour la **Belgique**, fr. HUIT par an. S'adresser à la BIBLIOTHÈQUE DES EXERCICES, 7, rue des Augustins, Enghien. Payer en *bon de poste* ou sur présentation d'une *quittance postale*.

Pour la **France**, fr. HUIT par an. S'adresser à la LIBRAIRIE SPES, 17, rue Soufflot, Paris (5e).

Pour les autres pays de **l'Union postale**, fr. DIX par an. S'adresser à la BIBLIOTHÈQUE DES EXERCICES, en payant l'abonnement par *mandat international*.

Pour éviter les frais superflus, prière instante à tous nos abonnés de payer spontanément le prix annuel.

La Maison St Augustin d'Enghien, qui abrite la Bibliothèque des Exercices, a un compte courant à Bruxelles, Chèques Postaux N° **373.65**. On peut donc faire le versement à ce compte, **en indiquant qu'il s'agit d'un abonnement à la C. B. E.** Dans bien des cas, on pourra aussi se servir de l'intermédiaire d'une Procure.

Nota. La Librairie SPES à Paris, peut fournir la plupart des fascicules dont la liste suit :

1906

1. **S. S. Pie X et les Œuvres de retraites.** P. DEBUCHY. 20 pp. Épuisé. 1.50
2. **La Maison de retraites de Vannes au XVIIe siècle.** H. CHAURAND. 52 pp. 3. fr.
3. **De la formation d'une élite pour les Œuvres et pour les Paroisses dans le cénacle de la retraite.** H. WATRIGANT. 46 pp. 2.50
4. **Les Confréries du T. S. Sacrement et des retraites fermées d'hommes en Belgique** R. P. DIEUDONNÉ, O. C. 44 pp. 2.50
5. **De la direction des retraites collectives** (à Bologne, fin du XVIIe siècle). C. ETTORI. S. J. 111 pp. Épuisé
6. **Introduction à l'étude des Exercice spirituels de saint Ignace.** P. DEBUCHY. 72 pp. 3 fr.

1907

7. **Les règles du pur Catholicisme selon saint Ignace de Loyola.** M. MESCHLER, S. J. 37 pp. 2 fr.
8. **Peut-on employer les projections lumineuses dans les retraites ?** G. LE BAIL. 38 pp. 2 fr.
9. **La Méditation fondamentale avant saint Ignace** (Essai historique et critique). H. WATRIGANT. 148 pp. Épuisé 5 fr.
10. **Saint Alphonse de Liguori et les retraites fermées.** R. P. WALTER. C. SS. R. 51 pp. 2.50
11. **La Retraite de Vennes.** V. HUBY (1678). 57 pp. 2.50
12. **Bibliographie des récentes publications sur les Exercices spirituel et les retraites.** H. WATRIGANT. 43 pp. Épuisé 2.50

Collection de la Bibliothèque des Exercices de St Ignace

Études et documents paraissant tous les deux mois.

N° 91
Janvier 1925

Exercitia spiritualia per octo dies a P. J. B. Cecotti S. J.

XVII^e s.

AVANT-PROPOS

Du P. J. B. Cecotti (1554-1572-1639), la C. B. E. a déjà publié quelques pages dans son n° 35. *Duo antiqua Exercitiorum Directoria*. Sa notice, empruntée à la Bibliothèque du P. Sotwell, précédait ces extraits. Il suffit de rappeler que ce religieux a été environ quarante ans Père Spirituel au Collège Romain, charge que le B^x Bellarmin venait à peine de quitter. Il n'a été publié qu'un seul ouvrage du P. Cecotti ; mais on voit dans le P. Sommervogel qu'il a laissé en manuscrit un enseignement ascétique, aussi complet et aussi spécial qu'on le pouvait attendre d'un homme appliqué à pareil ministère. La retraite qui suit est celle que désigne ainsi le P. Sommervogel : Exercitia iis qui in nostra Societate vivunt potissimum accommodata.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

Compendium praxis orationis mentalis ex libro exercitiorum B. P. Ignatii.

Constat oratio mentalis tribus partibus praeparatione, meditatione, colloquio. Praeparatio incipit ab efficaci desiderio doni orationis petendo illud a Deo et statuendo quantum est in nobis cooperari divinae gratiae magna cum diligentia, et hoc propositum et studium Deo offerendo. Adnot. 5.

2° Sequitur animi collectio et interior secessus ut omnes animi vires ab omni alia cura segregatae ad hoc divinum opus conferantur ; ad quam animi quietem et solitudinem consequendam adhibendus est etiam exterior secessus. Adnot 20 — addit. 7, 8, 9.

3° Ante somnum paululum cogitandum est de oratione postridie mane futura, petendo gratiam evigilandi hora debita. Post somnum prima ommium cogitatio debet esse de oratione, et punctis ejus leviter percursis, aliquid recogitandum est vel similitudo aliqua mente concipienda ut animus præparetur ad pios affectus.

Addit 1, 2. — Heb. 2, Not. 5.

4° Paulo ante quam orationem aggrediamur cogitare debemus, quid sit oratio quonam accedamus, ut intelligentes orationem esse negociationem quamdam cum Deo ad impetranda auxilia gratiae remque summi momenti debita attentione tractemus

Heb. 3, Not. 5. —

5° Aliquot passus procul ab orationis loco attollenda est cogitatio ad majestatem divinam, altissimam de ea opinionem concipiendo, tum ad nostram vilitatem dejicienda consideratio, ut magna quadam verecundia ac reverentia pleni prosiliamus ad orationem, et statim ante Dei conspectum provoluti tanquam praesentem adoremus per actum submissionis nostri et agnitionem ac professionem divinae excellentiae et majestatis. Addit. 3. —

6° Tum vero sequitur oratio praeparatoria petendo a Domino ut omnes vires atque actiones nostras dirigat ad gloriam suam, invocando praeterea si placet opem B. Virginis, Angeli custodis.

1° exerc 1ae hebdom. —

7° Denique sequuntur duo praeludia. Primum vel historiam nobis proponendo vel in rebus spiritualibus aliquod simulacrum cor-

poreum nobis fingendo aliquomodo sanctae rei de qua est meditatio. 2° gratiam quam cupimus pro meditationis qualitate postulando.

1° exerc, 1ae hebdom. —

Meditatio

Post absolutam praeparationem sequitur meditatio quae non consistit in exercitione unius aut alterius potentiae animi sed omnium ordinatim ut praecedat usus memoriae per vivam mysterii recordationem et apprehensionem; deinde succedat ac majori conatu usus et exercitatio intellectus. Postremo sequatur maximo studio affectus, in eoque figatur pes, hic enim satiat animam. Quod pertinet ad memoriam tota materia habenda est in promptu, ut non sit tum in recordatione laborandum ; quod vero ad intellectum adhibenda est industria ad excogitanda ea quae ad rem faciant, sed praecipue ut diximus cura in affectu concitando collocari debet. Quisque autem suae naturae magis consentaneum sequatur modum. Alii enim longis meditationibus et perpetuis, alii brevibus variisque affectibus interruptis juvantur. 2ae hebd. exerc. 5. Post meditationem per intellectum adhibetur exercitatio sensuum vel per ipsam phantasiae exercitationem vel alio altiori modo, quae prœcipue locum habet in mysteriis vitae Domini ac similibus. Atque hi actus viribus nostris divina adjuvante gratia innituntur. Praeterea tamen aditus late patefaciendus extraordinariis sancti Spiritus motionibus et luminibus, aliisque donis quae maxime solet in oratione conferre. Quare cavendum est ne illis, vel stupore mentis vel negligentia vel affectu nimio et crasso ad res caducas, vel etiam ex anxietate ac scrupulis impedimentum objiciamus. Intelligere tamen debemus cum haec extra ordinem communis providentiae sint, nullam ad ea consequendo certam præfiniri regulam posse, sed magna cum submissione expectandum esse ut divina voluntas in nobis fiat.

Quod si alicubi diuina bonitas se effundat consistamus ibi sine ulla sollicitudine ad alia puncta transcurrendi, adhibita vigilantia ad spiritus discernendos, et illud praecipue curando ut et intelligamus quid Deus a nobis velit et sedulo exequamur.

Colloquium.

Exercitatio affectus potest quidem ac debet adhiberi ubique cum satis jam intelligentia illuminata est, ac praecipue cum Deus ipse ad hoc movet, potissimum tamen in colloquio excitanda et exercenda est voluntas, tumque, quoniam scilicet directe agendum est cum Deo, attentio et reverentia quae initio inchoata, in meditationis decursu virtute perseveravit, expresse renovanda est, addito affectu devotissimae familiaritatis colloquendo cum Deo attente ac studiose, eas res et ea ratione qua par est cum tanto principe colloqui, maxima cum submissione atque fiducia. Actus sane qui in eo locum habent plurimi sunt et varii nec possunt certa regula definiri. Communiores et ordinarii sunt tres. Gratiarum actio pro acceptis Deo beneficiis tum antea tum eo tempore. Oblatio nostri, animae, cordis, voluntatis, virium, rerumque omnium nostrarum. Petitio gratiarum et donorum cum invocatione aliqua subjiciendo in fine Pater noster ; absoluta vero oratione adhibenda est brevis in eam mentis reflexio, ad notanda vel errata vel bonum sucessum.

add. 4. — adn. 3. — Hebd. 2ae. ex. 2o. — add. 5.

Praeludium ad exercitia.

Cujus finis est excitare in animo studium efficax exercitia aggrediendi, et fructuose prosequendi.

Meditatio. 1.

Primum caput est ut quisque consideret quantum his exercitiis indigeat, simul igitur ponat sibi ante oculos necessitatem qua tenetur ad perfectam virtutem attendere, simul pervestiget atque perpendat suas spirituales ægritudines, totum vitae suæ statum et actiones singulas perscrutando. Inde enim fiet ut tanto avidius appetat medicinam quanto magis se noverit aegrotum.

2m medicina sunt exercitia, quae etiam efficacior sentietur, si opinio de ea, ut aequum est, magna formetur : quare pretiosa et rara accuratissime preparata, ad nostros quoslibet morbos accomodatissima, existimanda est, ex his capitibus.

1o Quia exercitiorum auctor fuit et nostri ordinis parens et vir

sanctissimus, ut credendum sit iis, veluti quibusdam ejus animi reliquiis, vim inesse ad sanandos animos et quamdam etiam vim inditam ad Societatem fovendam, eoque magis quod cum quo tempore ille scripsit rudis litterarum esset, non nisi vel relegens ea quae Deus secum egerat, vel Deo ipso dictante talia praecepta excepit.

2° Ex illis fontibus reliquae ejus vitae insignis sanctitas permanavit.

3° Iisdem primos nostros Patres genuit, hique illa plurimi semper fecerunt.

4° Iisdem Societatem totam tam admirabili structura composuit et constitutiones scripsit.

5° Omnes qui in Societatem admittuntur iisdem institui voluit.

6° Ipsemet B. P. ea maximi fecit et quippe qui perspectam habebat eorumque virtutem et originem, in constitutionibus commendavit, ita etiam ut propter eorum excellentiam non omnes vulgo ad tradenda vel suscipienda idoneos putet.

7° Et tulerunt hactenus, et hodie ferunt maximos fructus in Ecclesia in quibuslibet et hominum gradibus et generibus. Denique ipse Dei vicarius illa comprobavit, laudavit et universis Christi fidelibus commendavit.

Tertium caput est considerare quidnam spectet in hisce exercitiis. Id enim nihil est nisi praesidia homini suppeditare ad vitam ex Dei voluntate instituendam, perturbationibusque et cupiditatibus noxiis liberam virtutibusque omnibus decoratam, ut Deo se totum ejusque obsequio in perfecta caritate impendat.

Quartum est considerare quibus instrumentis ad hunc finem quem diximus exercitia ducant ; ea sunt tria, oratio, examen conscientiae, institutio seu gubernatio.

Per orationem impetratur a Deo lumen practicum intellectus, ad cognoscenda vitia, virtutes, divina mysteria, ex quo motus efficax voluntatis erga eadem sequatur, et tandem actio ipsa, emendatio vitae et constans electio rerum ad virtutem ducentium : ut vero nostram etiam operam in divina sociemus, et aptiores ad radios divini luminis excipiendos reddamur, offerre Deo debemus animum

1° demissum ; et opus hoc non suarum virium esse sed dexterae Excelsi sentientem.

2° Nobilem ac spe bona plenum qui confidat fore ut divina ope ardua omnia pervincat.

3° Amplum et liberalem.

4° Addictissimum et obsequentissimum Deo et nutum illius in rebus omnibus paratissimum sequi.

5° Sedatum, viribusque ab omni alia cura ad hanc unam collectis adhibito et secessu externo.

6° Pium ac venerabundum.

Examen vero est triplex. Primum generale quod veterum peccatorum inquisitioni ad generalem confessionem usui est : alterum quotidianum quo praesentis diei actiones vocamus in judicium, ac praecipue inquirimus num quid negligenter commissum sit, num praecepta omnia et proposita servata : Tertium speciale aut ad peccatum aliquod tollendum, quod in exercitiis se frequens objiciat ; aut ad ipsas vitiorum radices extirpandas.

Denique ad gubernationem pertinet, ut se quisque totum ex animo ejus curae, a quo exercendum sese committat, ab eoque duci, institui, fingi velit, instar pueri prima vitae spiritualis elementa discentis*; quamobrem illi se deinde attentum ac docilem praebebit.

2° Quae injungit exequetur.

3° Simpliciter et cum intimo sensu interiorem sui statum animi cum eodem communicabit, lumina, afflatus, consolationes coelitus donatas; item molestias, tentationes, culpas inter orandum admissas, varios spirituum motus aperiet, certus quanto id ipse candidius absolutiusque praestabit, tanto suae vitae regimen divinae voluntati congruentius fore, tantoque uberiorem sibi coelestis gratiae et lucis copiam affuturam, ac postea eumdem veluti Christi loco ducet ac venerabitur.

5m est serio perpendere : Si ad haec exercitia strenue gerenda animum inducamus, quanta ex eo Christo Domino futura sit gloria.

Quantum angelis gaudium ; non enim putandum est, si super uno peccatore pœnitentiam agente gaudium est in cœlo, justo ad perfectam virtutem contendere serio statuente nullum esse.

Quanta utilitas bono publico.

Id etiam fratribus ac domesticis incitamento.

Superioribus voluptati fore.

6° Inde nos ipsos tranquillitatem animi, pacem conscientiae, victoriam dœmonum ac vitiorum, dona plurima colestia, thesaurumque virtutum omnium habituros. Contra vero, qui occasione hac et divina gratia non utetur, totque ac tanta bona sibi effluere per socordiam sinat e manibus, quot pœnas timere debeat, quibus periculis, quibus se conscientiae stimulis objiciat.

Consideratio fundamenti ac primum de fine hominis

Medit. 2ª

Duo sunt in 1° animádvertenda.

I^m Hujus meditationis finem non esse, vel dolorem ciere, quod a nostro fine aberravimus, vel aliud quippiam ; sed solum ingenerare in mentem claram et intimam ipsius finis notitiam ; ex qua moveamur ad illum efficaciter volendum.

2° Totam evangelicam perfectionem in hoc fundamento contineri, et ipso initio proponi, ut ad eam adipiscendam vota, studia et actiones nostras convertamus ; sicut enim exercitia sunt forma et exemplar reliquae vitae deinde ducendae, ita ipsorum exercitiorum compendium, et formula parva est hoc fundamentum, et quoniam finis norma est ac mensura omnium, quae ad ipsum ferunt, idcirco ante omnia proponitur finis, ut ex eo cœtera metiamur, ipsiusque præstantia nobilatem ipsis impertiat : ita ut dolor verbi gratia qui in prima hebdomada quaeritur, et vitae emendatio, quae in secunda ex hoc fine nascatur, ad hunc referatur; sane magnus et laudabilis dolor existet, si quis consideret ex tam alto fine excidisse ac proinde etiam vitae in posterum corrigendae consilium valde firmum.

Ex his apparet, cur dicatur, hoc principium sive fundamentum; illud enim a scientiae, hoc ab aedificii similitudine transfertur, quatuor ex principiis in scientia conclusiones educuntur, et super fundamentum reliqua aedificii moles extruitur, ita huic finis cognitioni tota debet vita spiritualis inniti ; finis antem meditatio duas habet partes ; una ad solam considerationem : altera ad actionem et praxim pertinet.

Prior pars considerationis finis.

Prior pars continet septem capita quae proponuntur primis verbis fundamenti ad excitandam cognitionem finis ejusque efficacem amorem.

1^{m} est creatio et beneficium creationis (creatus est) : non seipse homo fecit, non ex se semper fuit sed cum esset nihil, creatus est sui juris ; quantum vero est beneficium ex nihili tenebris in hanc lucem pulcherrimam rerum evocatum fuisse ?

Secundum, dignitas humana : creatus est non quodcumque ut solum esset quemadmodum inane, viveret sicut herba ac stipes, sentiret ut bruta ; intelligeret ut Angeli : sed haec omnia sparsa per singula rerum, gratia unus colligeret, mundique compendium ac parvus revera mundus esset, capax divinae visionis, beatitudinis, aeternitatis.

Tertium, finis præstantia : (ad hunc finem) non ad alium ne erret ; opus arte factum eum habet finem, ad quem artifex fecit. Creatus est homo, ad quidnam ? ad hunc finem nimirum praestantissimum ut Dominum Deum suum laudet ac revereatur, eique serviens salvus fiat, ut nobilissimum illum cultum qui latriae dicitur ei tribueret. Magno principi exhibitum nullum putatur vile obsequium ; qualis igitur erit, in tam praeclaro Dei laudandi munere famulatus ?

4^{m} Majestas Domini (Dominum Deum) Dominus præter quem non est dominus, Deum infinitum, immensum etc.

5^{m} Quia hic Dominus est ipsiusmet hominis. (Dominum Deum suum) alienum quempiam principem ac dominum honoramus, solum quia princeps dicitur, multo quo magis eum, qui tot nominibus noster est Deus ac dominus, tamque est benignus ac liberalis.

6^{m} Præmium (salvus fiat) ut sit ipsi homini quies, centrum, cibus, potus, omnia ipse Deus, æternaque beatitudo sicuti est sibi ipsi.

7^{m} quid ad creandum hominem et ornandum tot donis impulerit Deum ; inter homines nulla, vel vix ulla sunt beneficia, ab omni privati commodi cogitatione libera ; Deus autem nullius eget : Summum bonum est ; bonorum oceanus infinitus : quare nihil agit nisi ex sua liberalitate.

Pars posterior considerationis finis.

In meditatione proxima cognitus est finis, et constitutum non esse aliud quam divinam gloriam, et ad ejus amorem incensa est voluntas, nunc videndum est quomodo, et quanta a nobis gloria tribui debeat. A. Primum caput est considerare tres divinae gloriae modos, ac mensuras.

1ª est par divinae dignitati, quam Deus totus ipse sibi praebet, qui se perfecte intelligit. De sapientissimo aliquo homine rustici dignam formare non possunt opinionem, quantumvis alte sentiant, ipse multo melius sua bona novit ; debemus tamen cumulatam illam mensuram, quam a seipso habet, nos eidem cum gratulatione et gaudio offerre. 2º Altera est in actione perpetua, quâ sine intermissione Deus continuo intelligitur, laudatur ac diligitur, et haec propria est beatorum, mortalibus non est concessa, quos vel fragilitas vel necessitas, vel obedientia, vel caritas interdum alio distrahunt, reliquum est ut nos ad eam votis vocibusque contendamus.

3ª est quam et possunt homines in hac vita, et debent praestare, ut scilicet quoniam non licet in perpetua Dei laudatione consistere, studeant certe.

1m ut ea nunquam interrumpatur peccato mortifero.

2º ne veniali quidem quantum homini fas est.

3º Nec alia actione supervacanca, ita ut ex somno, verbi gratia ex consuetudine familiari, ex fabulationibus, ex negotiis humanis quidquid superfluum est recidatur ut quam proxime ad beatorum vitam accedamus.

4º Ipsa etiam necessitatis opera vel expresse vel virtute ad divinam gloriam dirigantur, omnino a terrena fæce nostri commodi purgata.

B. Hæc Dei Laus et gloria quadrupliciter debet persolvi.

1º Mente et ratione, subjiciendo illam mysteriis divinis, captivando intellectum in obsequium fidei et in divinarum perfectionum cognitione et meditatione occupando.

2º Voluntate, tum ipsam, tum affectus omnes ad divinum nutum fingendo.

3º voce in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus.

4º Denique operibus.

C. Laus autem Dei ex operibus nostris non debet esse muta et mortua, qualis est in rebus vita sensuque carentibus, et posset esse in opere artificioso hominis mali, in egregio aliquo naturae dono, sed debet cognitione et electione proficisci ut sit rationabile obsequium.

2° Deinde ex voluntate plane libera, non coacta, qualis est ea quam Deus ex damnatis ipsis exprimit vel invitis.

3° Nec solum ex fide et religione opera nostra debent manare, ut plurima christianorum improborum, sed etiam ex caritate. ut serviamus Deo in sanctitate et justitia omnibus diebus vitae nostrae: nec illi quicquam nisi mundum sanctumque offeratur.

4° Neque hic consistere debemus, sed progredi ad ea quae consilii sunt, et ea quadam liberalitate non ex debito praecepti nascuntur, qualia sunt opera religiosorum qui votis sponte susceptis arctiori se vitae dedicant. Qua in re magnum adhuc est discrimen pro variis institutis. Nam quidam ordines certos intra fines quos nunquam egrediuntur se continent, aut in afflictando corpore, aut in concinendis psalmis toti sunt, aut solum contemplationi vacant, vel maxime actionibus exterioribus occupantur. Itaque certam sibi quaerendae gloriae materiam perfiniunt. At nostra societas divinam sibi gloriam eamque majorem in rebus omnibus proposuit, quod ad eam ducat a se alienum nihil putat, omnia ferme complexa est: neque id quocumque modo, sed vult ita suae quemlibet saluti, ac perfectioni vacare, ut ad salutem et perfectionem simul proximorum incumbat nec in proximis personarum genera distinguit, ad omnes sua opera diffundit; vitam utramque sociavit, ut ad actionem ex contemplatione nobilitatem ac spiritum derivaret, ad hanc vicissim foecunditatem ex actione refunderet. Modus autem gloriae quam a singulis Deus exigit in ipsa nostra Societate est, ut unusquisque in suo gradu ac ministerio perfectum se studeat reddere, eoque referat curas omnes et labores. Tunc enim ex diversis quasi vocibus, suo quibusque in genere perfectis, suavissima existat harmonia. Summum vero est ut in rebus omnibus Christum ante oculos habeamus modumque observemus quo Patris gloriam assidue perquirebat, atque eum nos modum vita nostra exprimere conemur, veluti absolutissimum exemplar Dei gloriae quaerendae.

De naturalibus adjumentis ad finem nostrum consequendum

Medit. 3ª

Postquam satis cognitum est hominem a Deo esse creatum, non ad quemcumque finem sed ad ipsius gloriam, consideranda sunt instrumenta et præsidia quae ad eum finem accepit et quis eorum usus debeat esse : sunt autem alia intra naturae vim ac modum alia supra. Naturalia sunt res creatae omnes. Etenim Deus cum vellet gloriam suam palam facere statuit hominem procreare qui illam posset agnoscere.

Cum igitur mundum hunc universum, veluti amplissimam domum praeparasset, ac praeclara familia, multiplici, aptissime ad suam gloriam manifestandam, quod agebat instruxisset, hominem ipsum qui fuit Adam, egregiis naturae, gratiae atque justitiae originalis donis ornatum in eum induxit, ut is princeps ac dominus omnium, quippe rationis particeps coeteris rebus utens veluti administris, beneficentissimam Domini majestatem admiraretur et coleret.

Et quidem in eo statu cum ipse Adam sua sponte ad honestatem propenderet ad eamdemque rerum aliarum opera alliceretur, ad unam divinam gloriam quasi famulis ac domino consentientibus concentus suavissimus existebat : sed hic concentus quoniam peccato turbatus ac dissolutus est, nostra conditio nunc longe est diversa.

Quare ad rectum usum rerum creatarum, haec quinque quasi axiomata perpendenda sunt.

Primum. Rerum hanc omnium pulcherrimam pulchritudinem ac varietatem et jam nunc homini utilem esse ad suum finem consequendum. Utilia enim sunt omnia ad cognitionem comparandam : quaedam ad virtutem exercendum, alia ad voluptatem, et honestam animi rationem, alia ad vitam ipsam sustinendam.

Secundum. Quemadmodum in integro naturae statu, innocentiae praesidio facilis erat bonus harum rerum usus ; ita nunc propter corruptelam naturae valde arduum esse ; dum siquidem nos falsa boni, malive specie vel revocant a virtute vel retardant.

Nam etsi Christus Dominus naturam nostram in gratiae divinae

gradum etiam nobiliorem restituit, voluit tamen adhuc huic corruptelae ad majorem nostram gloriam subjacere.

Bonae igitur quidem res sunt omnes sed nobis non eodem modo, quo antea, quemadmodum vinum quod bene valenti utile erat, noxium est aegrotanti.

Tertium. Cum ita revera sit, necessarium esse iis vel abstinere, vel uti moderate ; nam etiam aegroto salubre interdum est modicum vinum. Haec autem pericula cum homines attentius considerarent in religiosorum claustra fugerunt, tum ut materiam sibi occasiones que peccati subducerent tum etiam ut dum omnia acciperent dimensa superiorum judicio et providentia de moderato earum usu certiores fierent ; quemadmodum aegroti sanitatis percupidi, nihil volunt nisi quod, quantum, quomodo et quando fuerit a medico praescriptum.

Quartum. Quod ex dictis item sequitur, in his rebus nequaquam spectandam esse bonitatem, quam suapte natura habent sed quam habent relata ad nostrum finem. Etenim vinum melius aqua est sed aqua melior aegrotanti, sanitas infirmitati praestat, sed non aeque fortasse bona est mihi, quem Deus statuit per morbos ac dolores ad aeterna gaudia perducere.

Quintum. Quando quis vel ratiocinatione sua, vel experientia, vel divino lumine aliquid apprehendit ad finem conducere, id eligendum assumendumque esse forti et magno animo, quantumvis sensus reclamet ac diabolus reluctetur ; qui enim vere sanitatem appetit medicamentum simul appetit, quamvis amarum aut asperum. Deinde si quis accidat ex humanis casibus, illum ipsum esse viam nobis a divina providentia oblatam qua velit nos tendere in coelum, quod si quae acerbiora videbuntur, cogitemus ea quoddam pharmacum esse amarum quidem sed ab eodem et patre, et medico peramanter et sapientissime filio praeparatum. Eodem suscipiendum est animo quidquid per homines et maxime quid per superiores contingat, sive sint laboriosa ministeria et opinione vulgi vilia ; sive aliud quidpiam.

Ex his autem principiis concluditur omnino necessariam esse animi aequitatem ad nullas res magis quam ad alias propendentis, sed omnia parati suscipere, ut divina providentia vel per se, vel superiores judicaverit maxime ad nostrum finem, hoc est ad Dei gloriam expedire.

Qui vero hunc in modum rebus creatis utitur :

1° pacem animi jucundissimam

2° Dominatum in res ipsas assequitur. Postremo usus ille sanctus piusque redditur nec solum Deo gloriosus, sed ipsi etiam homini valde salutaris.

De mediis supernaturalibus.

Medit. 4ª

Quoniam vias ad finem accommodatas esse oportet, cum finis noster vires naturae transcendat, necesse fuit nos ad eum consequendum praesidiis institui, quae vires item naturae superarent. Ut igitur quam effuse divina caritas his etiam nos instruxerit videamus, consideranda sunt sex capita quibus, totum hoc pretiosissimum instrumentum continetur.

— Primum caput principium et origo cæterorum est Christus Dominus, in quo considerandi sunt tres quasi immensi et pretiosissimi fontes.

Primus est meritorum quibus nos et a malis redimimur et vires accipimus ad bona facienda.

Secundus doctrinae, qua ad caelestium rerum cognitionem attollimur, bona facienda discimus.

Tertius Exemplorum quibus ad ea quae jam possumus et novimus bona allicimur, et movemur, ut facere velimus.

— Secundum caput est divina gratia per quam filii Dei nominamur et sumus. Deinde virtutes Theologiae, tum dona Sti Spiritus, postremo virtutes morales, quae dicuntur infusae, quibus omnibus, et vires acquirimus, ut possimus exercere christianas actiones; et ita instruimur afficimurque ut facile ac suaviter exerceamus.

Tertium sunt sacramenta. quibus ad nos Christi merita et dona coelestia derivantur. Nam per baptismum divina gratia in nobis gignitur; per confirmationem adolescit ac roboratur, per Eucharistiam nutritur et conservatur: Per pœnitentiam vel recuperatur amissa, vel certe augetur: per unctionem extremam armamur contra hostium tartareorum impetus in eo articulo acerrimos, per sacrum ordinem propagantur rectores ac duces spirituales: per matrimonium propagantur genus humanum et fidelium numerus.

Quartum Lex divina et humana : Ecclesiae sanctae pastores : sanctorum Patrum et Doctorum libri, evangelicae exhortationes et praedicationes : Angelorum custodia : sanctae ecclesiae suffragia et communicatio : B. Virginis sanctorumque patrocinium.

Quintum. Institutum societatis, in quo et communia abundantius et multa propria habemus insignia adjumenta.

Sextum Inspirationes et afflatus divini et interiores motus, cælestia mentis lumina quae in se propria quisque expertus est.

Post horum omnium accuratam aestimationem tres actus subjici debent.

1^us^ est admirationis, ac laudis immensae Dei benignitatis quae tot ac talia nobis tam affluenter praesidia suppeditarit ad nostrum finem, considerando quam facile ac suaviter, quisque illum ita instructus assequi possit.

2^us^ est doloris ac pudoris quod his immortalibus divitiis abutamur vel negligamus uti ad salutem, considerando, quam simus omni prorsus excusatione indigni.

3^us^ est statuere animo haec auxilia amplecti velle : non enim ipsis, cum per se bona sint animi, requiritur in utramque partem praeparatio nisi tantum in duobus, in modo ac tempore, quae non pendent a nobis : hoc est ut parati simus atque cum desolatione, atque consolatione iis uti, neque tristemur si quod nos, quantum in nobis est, serio ac strenue quaerimus, non statim assquamur, sed Deo totum negotium permittamus, qui opportunitatem, ac tempestivitatem rerum omnium optime novit.

De peccatis in sæculo admissis medit.

Animadvertendum est 1^m^ propositum non esse nunc peccata recolere ad generalem confessionem, siquidem haec ingressu religionis, vel alias rite peracta est.

Sed propositum est 1^m^ illum peccatorum dolorem instaurare et purgatiorem ac perfectiorem reddere. Initio enim religiosae vitae lumen divinum ad perspiciendam foeditatem, et ponderandam gravitatem peccatorum fere non ita magnum est. Tum animus eo tempore solet angi, et scrupulis agitari, et pœnarum timore perturbari, et in criminibus pervestigandis numerandis, distinguendis maxime occupari :

quae omnia ex amore potius nostri quam Dei nascuntur, et sincero illi ac purissimo dolori caritatis filio vix ullum relinquunt locum : hunc igitur fructum in præsentia nos spectamus, quanquam et alios permultos eadem opera conquirimus ac praecipue praesens gratiae incrementum. Animadvertendum 2° fundamentum in his primae hebdomadae meditationibus adhibendum esse veluti normam et fontem doloris, enitendo scilicet, ut ex considerafione divinae benignitatis erga nos existat. Nam sane intimis sensibus amantissimeque angi necesse est eum qui se ad finem tam nobilem genitum, alio ingrate ac stulte aberrasse serio cogitet. tam admirabili auxiliorum cælestium multitudine, varietate, praestantia, saepe ad benignissimi largitoris injuriam abusum esse, neque ab eo ut justissime potuit, poenis ullis, sed sine intermissione ulla beneficiis novis affectum, quae beneficia in ipsa meditatione magis magisque apprehendet.

Animadvertendum 3m quae in additionibus B. P. Ignatius proponit veluti adminicula ad excitandum dolorem servari sedulo oportere, adjuvant enim moerorem animi, mœstitia tenebrarum, non audere oculos erigere, cogitationes laetas excludere : abstinere a verbis, a risu : denique corpus ipsum poena et asperitate vexare.

Jam posito exercitio cum praeludiis quod in libello accurate legendum est, et fine hujus exercitii proprio ante oculos constituto, qui est excitare in nobis pudorem et confusionem, ut petuntur in 2° præludio ad meditationem accedendum est.

Pm caput est peccatum Angeli : Animadverte hoc peccatum, quod 1m fuit fons et origo et exemplar cœterorum a B. P. proponi, ut malum in ipso fonte intuearis, in quo omnium quodam modo peccatorum malitia continetur. Considerandus est autem.

1° Status in quem decidit post peccatum miseriis omnibus et summa infamia cumulatus.

2° Status in quo fuit angelus antequam peccaret quam excelsus.

3° id per quod facta est tam mirabilis conversio ac tanta ruina, scilicet peccatum ipsum. Id autem fuisse quia noluit se divinae voluntati subjicere, et finem amplecti ad quem fuerat procreatus, et praesidiis uti, quibus ut divinae gloriae serviret fuit ornatus.

Ex his autem colligendum est 1° Quanto Deus odio peccatum insequatur quando quidem ejus causa naturam adeo praestantem in aeternum ad durissimos cruciatus objecit. Si quis poculum aureum

gemmis distinctum, statim ut guttam vitiati in eo liquoris cerneret, prudens scienterque confringeret, atque in sordes infimas projiceret, sine dubio indicium id esset, liquorem illum vitiatum ei homini supra modum detestabilem videri.

2° Quam sit malefica et quam pestifera peccati vis, quippe quae naturam illam angeli immortalem statim atque corripuit, tam male ac misere accepit, deformavit, vitiavitque totam pene consumpsit non secus atque febres quaedam pestilentiales juvenem quantumvis viribus et forma visendum, statim ut invadunt enervant, macerant, conficiunt, foedum ac miserandum in modum.

3° Cogitatione ad nos conversa, conferenda est nostra cum angeli natura, nostra vilitas cum illius dignitate, nostra inopia cum illius opibus et nostrorum peccatorum multitudo, cum unico illius.

Postremo admirari debemus infinitam Dei erga nos pietatem, qui Angelis derelictis, et ad ignes aeternos amandatis, humanum genus noluerit remedio et subsidio carere, sed ipsemet Dei filius causa nostra suscepta, naturam etiam assumere voluerit, nosque tanto pretio redimere, sacramenta instituere et cætera multa subsidia comparare.

Ex his autem dolor pudorque qui optantur existent.

2^{m} caput est peccatum primiparentis eadem via ponderandum, felicitate ejus status ex quo, et miseria ejus in quam, ac peccato ejus propter quod est dejectus animadversis, aestimandum est, tum odium Dei versus peccatum, qui illud in posteritate omni tam graviter puniat. Exemplo sit princeps aliquis, qui non solum in hominem ipsum rebellem ac perfidum severe animadvertat, sed cum stirpe etiam universa immortales gerat inimicitias eorum tecta funditus everti, bona publicari, ipsos interfici jubeat.

Tum ipsius peccati cognoscenda est pessima natura, quae uno contactu totum humanum genus pestifera lue infecit, et malis tot, tamque gravibus affecit.

Post haec Adae unum peccatum ex pomi esu ad uxoris rogatum, de quo pene statim doluit, quod poenitentia, et poena diutissima expiavit, cum nostris innumerabilibus detestandis exque mera nequitia et pravitate comparabitur qui necdum dolemus.

Et tamen divina benignitas nobiscum fuit tanta ut nos non expulerit ex paradiso, sed potius in eum, hoc est, religionem vocavit.

3m caput est unum quodlibet peccatum, propter quod semel fortasse commissum multi fuerint ad aeternas pœnas dejecti, cum interim nos qui sæpius graviusque peccavimus, adhuc vivamus. Cur autem ? In hoc capite pensanda est gravitas peccati ex eo, quia est contra Dominum hujus universi et contra summum bonum, cui peccator per summun contemptum, momentanei boni speciem anteponit, qua injuria cum infinita lædatur majestas, reus fit qui peccat infiniti supplicii, quantum scilicet reperiri non potest ; ita ut quaecumque sunt aut esse possunt apud inferos flammae infinito intervallo inferiores sint merito unius culpae mortalis.

De peccatis in sæculo admissis Medit.

Id quod quaeritur in hac meditatione est dolor vehemens peccatorum et abundans fletus, quae cum siut dona divina, a Deo peti debent ut fit in 2o praeludio.

In 1o capite quod in libello proponitur, animadvertendum est, quoniam ut supra indicavimus nunc non apparamus confessionem, de numero peccatorum, et singulorum recordatione non esse admodum sollicite laborandum, sed in tota illa vitae anteactae recognitione duo esse studiose perscrutanda inter seque conferenda : Dei bonitas ex una parte, ex altera pravitas nostra quot ille inde usque a primo rationis usu nobis obtulerit vias, adjumenta ad virtutem, quot stimulos admoverit per afflatus interiores, per usum sacramentorum, per beneficia, per calamitates, per amicorum, parentum piorumque monita et exhortationes, per exempla sociorum etc. Idque locis omnibus et temporibus sine ullo fine mira cum patientia — Nosvero e contrario, ut semper Spiritui Sancto pervicaciter restiterimus, imo Dei lege neglecta, suisque beneficiis contra ipsum in tela conversis, ejus iram lacessiverimus ; qua in pugna divinae pietatis, et impiae impudentiae nostrae tamdiu perstitum est donec ipse tandem Deus, aliquando devicit, nosque a saeculo abstractos quos in baratrum debuit detrudere in religionis gremio collocarit.

In 2o capite praeter fœditatem, quam ex sua natura peccatum habet considerandæ sunt condiciones quae illam augent : damna illata nobis et aliis : injuria Deo facta, offensio proximorum, scelerum multitudo, et quam facile, praecipitanter, levem ob causam, quasi per ludum commissa sint.

In 3° considerandum est quidquid potest, quam vilissimam in nobis, de nobis opinionem ingenerare, quare comparatio ita fiet, ; ut cum rebus singulis collatione facta, nos abjectissimos omnium statuamus esse plane sentire conemur. Conferam igitur, me verbi gratia cum luto, fimo, putido cadavere, et concludam me inutiliorem esse quia illa nunquam cum Deo pugnarunt.

Conferam me cum cœlo, sole, luna, elementis, ac cœteris rebus tum carentibus vita, et anima, tum praedictis, et singulas videbo sua natura boni aliquid progignere ; ex me velut ex foedo ulcere nihil nisi saniem manare.

Deinde cum hominibus. quorum societate indignus sum, quia vitam duxi belluarum, et quidem sceleratissimis judæis, Aethnicis me judicabo nequiorem, quod tot divinae gratiae donis noluerim uti, etiam ipsis daemonibus, quos mei perversitate ingenii, meis cupiditatibus et saepe ad meam perniciem stimulavi. Tum vero oculis in cælum elatis, intuebor Angelos in statu illo virtutibus, foelicitate splendore etc. cumulatissimos, meque respiciam cæcum miserrimum obscurissimum. postremo ut potero mentis acie ad infinitam praepotentis Dei, ac Domini majestatem conversa, intelligam me illo infinitis partibus minorem esse, quam sit pulveris minutissimi atomus cælo supremo.

Quod ponderans admirabor tam impudentem insaniam meam cum ausus sim ita, ac toties irritare naturam adeo praestantem, tum invictam ejus benignitatis patientiam, qui me tamdiu toleravit. Inter haec cogitatione ad me reflexa corpus aspiciam ut luti massam, sentinam, cloacam, sepulchrum : animum vero propter naturae depravationem, præcipitem ad deteriora, segnem ad honesta, nudum cœcum cruentatum conspurcatum vitiis etc. ad cupiditates et sensuum oblectamenta projectum, ignavum et infame mancipium.

Quid ergo sum nisi quiddam inveterato tetroque apostemate corruptius, ex quo halitus afflatur pestilens, et jugiter fœdissimae saniei vena erumpit.

In 4° cap. id agitur ut intelligatur, per peccatum nos fieri saepius nihil, cum enim perfectionibus divinis peccatum contrarium sit : quemadmodum est ens Summum immensum etc. Sapientissimus praepotens optimus, pulcherrimus etc. ita nos per crimen mortiferum, quodam modo reddimur ad infinitum nihil, ad infinitam stultitiam, infirmitatem, pravitatem, turpitudinem etc.

In 5° capite nihil advertendum est nisi in eo poni jam vehementer ex consideratione supradictorum capitum concitatum esse affectum, ex quo in eam exclamationem et admirationem erumpendum sit.

Item de peccatis Medit.

In hac meditatione quae ex duabus proximis conflatur, propositum est intimam et claram excitare peccati lethalis cognitionem per quam illud detestemur et horreamus.

Pm caput est contra quem sit peccatum.

1° Est contra Deum, qui est, nobisque per suam caritatem vult esse summum bonum, quo nos tamen spreto, ad umbras boni conversi in his nostram ponimus fœlicitatem, quod est crimen pessimum aé genus quoddam idolatriae.

2° Contra Dominum ac principem, quare est contumacia, violatio majestatis, perfidia et rebellio infamis.

3° Contra patronum beneficentissimum deque nobis optime meritum, a quo accipimus, accepimus, et speramus innumerabilia beneficia naturae, gratiae, gloriae, gloriae immortalis, unde habet ut sit vitium ingrati animi non ferendum.

4° Contra nostrum et rerum omnium parentem, unde parricidium.

5° Contra sponsum nostrae animae unde sacrilegium adulterium.

Et quoniam peccati magnitudo ex ejus contra quem est magnitudine aestimatur, inde fit ut cum Deus sit infinitum bonum, princeps ac Dominus infinitus, ac denique nullam perfectionem habeat non infinitam, hae omnes etiam peccati conditiones sint infinitae non est dubitandum, ita ut contemptus injuria, perfidia, adulterium etc. sint infinita atque adeo in uno scelere resideant tenebrae fœtor, horror, chaos, pravitas etc. singula infinita.

Itemque quia Deus est Deus omnium ac Dominus, pater, patronus, benefactor sponsus omnium, omnia lædantur his aliisque pluribus rebus quas quisque potest recensere, omnia in eum qui lethaliter peccavit, conjurasse debeant, quod quantum in ipso est Deum, dominum, parentem, patronum, sponsum communem, ac proprium singulorum extinguat. Haec autem amplitudo et gravitas infinita, usque eo eminet in peccato, ut ad eam compensandam necessarium fuerit, meritorum Christi pretium infinitum.

2m Caput est considerare circumstantias.

1o Deus illud summopere odit, vetat legibus, punit suppliciis gravissimis ; non Angelis, non Adamo pepercit, totum mundum aquavit, infames civitates igne absumpsit : haec autem nos optime novimus et tamen ipso vel invito, et reclamante, comminante et feriente peccamus.

2o Cum Deus praesens ubique etiam cordibus nostris intime sit, non dubitamus in ipsius oculis injuriam facere praesenti spectanti que per imprudentiam, et contumeliam summam.

3o Beneficiis ad largitoris contemptum abutimur et amici dona in hostilia tela mutamus.

4o Cum ad singulas actiones, sive voluntatis et rationis, sive sensuum ac membrorum etc. Deus ita nobis opem ferat, ut nisi ille adesset, nihil agere possemus, nos illa ipsa ope in opitulantem irruimus : quod perinde est ac si infantulus dum Patris sustinetur ulnis et gladium tenens ab eodem adjuvatur ad motum, ipsum Patrem confodere impius conaretur.

5o Cogitandum est hominem cum ad peccatum concitatur, constitui judicem et arbitrum inter Deum et diabolum ; hinc Deus cum filio nostra causa in cruce confixo, et clamore valido deprecante ut divinae dignitatis habere rationem, et nostrae salutis acceptorumque beneficiorum meminisse velimus, sacramenta, auxilia specialia, promissa Patris afferente ; Angelorum simul beatorumque tanquam advocatorum cœtu nobilissimo astante. Hinc Diabolus ad exitium nos per mundi et carnis vana blandimenta pelliciens. Qui igitur sceleri consentit, contra Deum pro Diabolo ejus hoste capitalissimo fert sententiam, qua iniquissima contumelia nulla fingi potest indignior.

3m caput est quosnam laedat peccatum ?

1m Angelos et homines beatos, tum quia teterrimum peccati afflatum vehementissime oderunt, tum quia eorum custodia, patrocinia, preces inutilia redduntur, tum quia privantur illo accessu gloriae, quae illis accedit ex numero sanctorum et nostra salute.

2o Sanctam Ecclesiam, quia praebetur offendiculum parvulis, quia filium et labores amittit, doletque tam multos perire.

3o Animas quae sunt in purgatorio, quia is bonorum civitatem suo scelere amisit, vel nulla, vel vana illis affert suffragia.

4° Ipsos damnatos quorum poena ex numero sociorum augetur.

5s Ethnicos qui ex mala Christianorum vita ansam arripiunt religionem sanctissimam ac Christum Dominum impie criminandi.

6° res omnes quas cogit ad sui parentis, et Domini contemptum ac dedecus esse administras.

4m Quantam pernicien afferat illi ipsi qui peccat.

1° Spoliat bonis externis et corporis : etenim calamitates omnes, pestilentias, bella, penuriam rerum, morbos, mortem, impietas invexit, hinc saepe foedis et insanabilibus morbis sceleratorum inficitur corpus, dignitas perit ; res familiaris dilabitur, domestici, amici, filii rapiuntur etc.

2° Vitiat et pervertit omnes hominis naturales facultates : intelligentiam excœcat, voluntatem enervat, rationem sensui, tanquam mancipium subjicit, perturbationibus, sensibus, membris, effænatam licentiam tribuit : nihil denique relinquit in homine, nisi inconditam furiosorum tumultuantium turbam, et horrificum chaos.

3° Privat spiritualibus auxiliis : tum scilicet fructu sacramentorum, quae improbis id est canibus et suscipientibus indigne sancta afferunt pro vita mortem : tum beneficio indulgentiarum, et communione meritorum Ecclesiae, quae non prosunt nisi Dei domesticis et civibus Sanctorum.

4° Nostra omnia merita, si quae habemus, extinguit, et labores ante susceptos, ad priorum expiationem inutiles reddit.

5° Privat thesauro illo immenso divinae gratiae, per quam fiebat ut filius Dei esset, et ab eo diligeretnr, qua pariter benevolentia et singulari tutela spoliatur qui peccat, utque is de filio hostis, ita Deus de Patre fit judex.

6° Privat aliis donis cælestibus, fides emoritur, spes redditur inanis quia meritis debet inniti, caritas extinguitur, pax animi turbatur, tollitur fortitudo ad repellendos tentationum impetus, temperantia ad fraenandas libidines.

7° Privat jure vitae aeternae, qua re in curia foroque cœlesti, publica veluti praeconis voce pronunciatur is qui in se lethale crimen admittit, ejectus e regno beatorum, addictus aeternis flammis, traditus ludibrio fortunae ac diaboli potestati : Bona ejus omnia publicantur et sanctorum praesidio excluditur.

8° Ipso spoliatur Deo summæ hominis fœlicitate, omnium bonorum fonte, luce, parente, vita, thesauro : quare infoelix apud res omnes declaratur, sui domini desertor ac proditor infamis summi supplicii reus.

De peccatis in religione commissis. Medit.

In hac meditatione finis non solum est dolor, sed praeterea stabile propositum emendationis : quippe saeculi peccatis jam diu nos divina gratia liberavit. At haec mala praesentia sunt. Deinde in his non tam ipse culparum numerus spectandus est quam 1° vitae ipsus temeritas et languor et frigiditas.

2° Facilitas delinquendi ex contemptu quasi leves noxae sint, nec magni faciendae.

3° Num consulto et plane scienter peccatum sit.

4° Quae peccata sint quasi fontes et radices multorum.

5° Num quid gravius perpetratum sit ut de eo praecipue doleamus.

Pm Caput est vitam in religione traductam recognoscere ad quinque proxime dicta capita.

1m igitur ponet sibi quisque ante oculos nostrum proprium vitae genus, et inquirat, quanti illud fecerit, quantum amaverit : leges ut servaverit, vota ut impleverit sancte et integre.

2° Inspiciet animam suam et interiorem pietatis cultum : num serio et vere studuerit pietati, communemque nostram vivendi normam secutus sit, ex amore perfectae virtutis, an solum inani externa specie contentus, ac phariseos et politicos imitatus neglexerit ipsum excolere animum, vitiis expurgare, ornare virtutibus.

3° Res spirituales, voluntarias in his distractiones, taedia, stuporem, frigiditatem, numque idcirco quippiam interdum omiserit, vel penitus vel ex parte.

4° ministeria et munera gesta, qua diligentia, qua recta mente, quo pietatis ardore.

5° Consuetudinem, tum cum domesticis, tum cum externis, quam studuerit omnibus prodesse exemplo : ubi vocandi in judicium sensus una cum lingua et exteriore modestia.

6° Quomodo tractaverit corpus, ubi inspiciendum quo pacto se gesserit in somno, cibo, potu, desidia, fuga laborum, relaxationibus etc.

2m Caput est harum macularum turpitudinem aestimare.

Ex beneficio vocationis religiosae, animadvertendo unde nos Deus, quot ex miseriis et periculis abduxerit.

2° Ex statu in quo sumus et loco, ex perfectionis studio quod profitemur, sumus enim in domo Dei quam summa decet sanctitudo.

3° Ex innumerabilibus incitamentis et adjumentis quae extrinseca, et intrinseca habemus ad virtutum omnium adeptionem.

3m Caput est ponderare damna quae afferunt haec peccata. Deus magna laude ; Christus Dominus fructu suae gratiae, qua vocavit ad religionem ; cætus cælestium, praesertim custodes angeli, nostrique ordinis parentes, singulari laetitia ; mundus auxilio ; benefactores suo fine, qui suas facultates nobis donarunt, ut re non solum nomine servi Christi essemus et religiosi ; religio ipsa magno splendore cui potius labes inuritur ; socii exemplo, rectores, ac Patres spirituales voluptate ac spe fraudantur, contra mœrore complentur ; unusquisque denique seipsum ingenti meritorum thesauro fraudat, et vitam inter assiduas, tum interiores concientiae, tum exteriores molestias, miserrimam ducit.

4m caput est considerare quam severe Deus puniat tepidos et et ingratos perpendere varias ac miserabiles ruinas, tum aliorum, tum nostrorum qui ex religionis fastigio in saeculum relapsi, inde fortasse in infernum baratrum provoluti sunt, idque eam ob causam quia divinae gratiae respondere noluerunt.

Ex quo 1m colligendum odium Dei contra religiosos tepidos et ingratos, quos adeo severe ulciscitur suae gratiae scilicet subtractione quae omnium gravissima poena est.

2° Quanto fuerit erga nos ejus misericordia, quos gravissima quaeque meritos hucusque tulerit nec siverit abire in praeceps ut possemus tandem vitam in melius commutare.

adjicientur in fine tria colloquia.

De fructibus Pœnitentiae

Meditº

Primum praeludium est audire S. Joannem magno clamore admonentem : Facite fructus dignos pœnitentiae.

2m petere gratiam ita dolendi ut ex dolore et pœnitentia nostra hi fructus digni nascantur, quos scilicet par est oriri ex vera germanaque resipiscentia.

1us fructus est dolor habitualis, id est consuetudo quaedam de peccatis dolendi et praeparatio affectioque animi talis, ut quoties vel ex recordatione, vel ex alia via species aliqua sceleris menti objicitur, ea species molestiam et dolorem pariat, qui sane fructus preciosissimus est, et latissime patet ; nam sive in lectione librorum sive in familiari sermone, sive ex excipiendis confessionibus, sive alia quacumque via cogitationi se offerat peccati facies, ejus fructus est usus, per eumque fiunt plurimi actus magni meriti et aditus diabolo intercluditur : qui non ita affectus est, et ad peccati imaginem non cohorrescit, sed potius animadvertit sensum aliquem non ingratum sibi furtim subrepere, is poterit hoc indicium existimare animi nondum purgatissimi.

2us fructus est satisfactio, eaque duplex, una ut aliqua poena quae corpus vexet interdum suscipiatur ; altera et praestantissima ut praecipue virtutibus studeamus, quas antea per vitia violavimus, ut in quo Deum magis contempsimus, in eo magis honoremus.

3us est timor et cautio cum diligenti vigilantia ; orietur hic fructus ex animadversione communis fragilitatis, quoties nos in idem cœnum, dum minus caute cavemus, revoluti simus, quam multos noverimus ad sæculum reversos, neque enim naturam mutavimus, neque malorum semina excisa sunt, in gratia divina plurimum quidem spei ponendum est, sed non est idcirco dormiendum.

4us est opinio sui vilissima, ut se quisque veluti fœtidum cadaver existimet.

5us Sui contemptus, qui fructus ex proximo sequitur ; ea enim quae vilia existimamus etiam contemnimus, nec magna cura servamus, et qui vilem se putat etiam negligenter tractat, nec renuit sed potius optat, vilis haberi. Itaque nec de suis laudibus aut commodis,

de existimatione honestis ministeriis etc. de somno, victu, vestitu sollicitus est.

6^us^ est facilitas morum et tractabilitas, ut sociis se mitem ac suavem, superioribus docilem ac obsequentem praebeat, quovis modo se flecti ac fingi sinat, isque item fructus ex proximo nascitur, et vere poenitentis est, ut qui superbe sui domini legi se aliquando subduxit, ejus causa velit omnibus humiliter subesse. Ita S. Paulus paulo ante minans, et cœdem anhelans, conversus inquit, Domine quid me vis facere, seque Ananiae permitit etc.

7^us^ est zelus animarum ; quod sibi adeo pestiferum expertus est, ac Deo tam odiosum peccatum, ut quantum potest ex omni rerum natura exterminat. Hinc David jam paenitens ; Docebo, inquit, iniquos vias tuas. Hinc B. P. N. Ign. studia illa ardentissima ipso suae conversionis initio.

8^us^ est amor Dei, cujus exemplum praesertim elucet in Magdalena, et ratio ipsa postulat, ut quem summe bonum ac pium erga nos sensimus, eum nos non segniter diligamus.

De divinae gratiae praestantia.

Medit^o^

Quoniam mortifero peccato anima gratiae divinae beneficio liberatur, excellentia hujus doni ut tanto pluris aestimetur, et diligentius conservetur, consideranda hoc loco est.

P^m^ praeludium est, ponere sibi ante oculos deforme cadaver, et cogitare quod illi restituta anima confert, id animae gratiam cum proportione conferre ; nam conjuncta corpori anima, vitam illi, sensum, motum, vires, pulchritudinem et caeteras vitae functiones tribuit. Itaque gratia diuina suo adventu animae caelestem vitam decus humano majus, actiones naturalibus longe nobiliores affert.

2^m^ est precari a Deo lumen et vires, quibus hoc donum cognita ejus necessitate ac praestantia et expetamus ardenter, et omni studio, praesertim strenuo utendo, conservemus et augeamus.

P^m^ caput est considerare ipsum fontem et caput gratiae aeternam Dei voluntatem : etenim praestantissimae illi naturae, seque sola beatissimae cum jam inde ante omne tempus hominem cerneret in peccatis jacentem inimicum pro suo infinita bonitate placuit, eum a pec-

cato et poenis aeternis, quas promeritus erat, eripere, sibique reconciliatum beneficio gratiae ad sanctitatem extollere et dignitatem prope divinam.

2m est animadvertere rationes ac vias quibus hoc Deus suo tempore decrevit efficere ; sunt enim admirabiles, Christus Dominus, sacramenta, Angelorum custodia, sanctorum intercessiones, Sancta Ecclesia etc siquidem inde usque ab aeternitate constituit, ut ipsius filius nostra causa humanam assumeret naturam, extremaque omnia passus thesaurum meritorum conficeret infinitum, quod ut suaviter et ordine fieret, sacramenta praeparavit quosdam quasi canales, ac simul adjecit Angelorum custodiam, et tutelam ; sanctorum communionem et preces aliaque permulta subsidia, quae nos vel ad excipiendam vel ad retinendam, vel ad augendam ipsam gratiam juvarent.

3m Est considerare cum tandem Deus collaturus est gratiam, quam suavi et admiranda ratione ad eam praeparat animam per timorem, spem amorem et dolorem. Ipse enim hominem vel alia cogitantem, vel in peccata ruentem occupat, ac primo illustrat ac movet, ut rerum caducarum vilitatem, ac suae vitae statum miserum agnoscat : ut videat pericula quibus undique obsidetur, et supplicia aeterna quorum est reus ex qua cogitatione timor initium salutis oritur : mox vero majore lumine infuso propositis tum aliorum exemplis, qui veniam impetrarunt, tum collatione sacrarum litterarum, in quibus misericordia celebratur, ad spem veniae illum erigit ; adhuc autem magis aucto lumine cælesti, ad considerationem divinae benignitatis allicit quae praeparata sit adeo clementer excipere inimicum, indeque ad amorem accendit, Tum denique luce clariore praeeunte conversus ad sese, et attentius intuens quod tam bonum, ac pium parentem offendere ausus sit, exardescit nimirum odio peccati ac sui malletque omnia perpessus esse, quam tale quidpiam commississe.

Dolet igitur intime, conscindique sibi quodammodo cor et conteri sentit, et saepe in uberes lacrymas erumpit. Et haec via est suavissima qua hominem scelestum bonitas illa divina ac infinita ad fœlicissimum statum gratiae perducit, non tamen sine ipsius hominis libera voluntate ac perfecto consensu.

4m Caput est considerare quid gratia in anima efficiat.

1o Simul atque infunditur illam ab infinita deformitate ac miseria, a peccato eique debitis aeternis cruciatibus extrahit.

2° Pulchritudine coelesti exornat, quasi pretiosum genus aquae, quod non solum abstergere maculas possit, sed novum etiam inducere splendorem.

3° Ad esse novum, ac rerum ordinem excelsiorem evectam divinae naturae consortem efficit, quodque hominum ingeniosa cupiditas nondum reperit qua ratione plumbum vertatur in aurum, id ipsis hominibus divinae sapientiae bonitas vi suae gratiae assequitur, dum reddit ex terrenis cœlestes.

4° Gratia hac quasi aureo varieque picto vestitu anima insignis ita collucet, ut divinis oculis mire placeat. Quare non solum in amicitiam recipitur, sed etiam constituitur filia aeterni Patris, quam studio paterno et praecipua cura protegat ; Christi soror cui sua merita impartiatur ; S. Spiritus Sponsa, quam suis muneribus ornet, a beatis socia salutata et civis, et patrocinio singulari defenditur ; sequuntur comites gratiae fides firma, spes non vana, et cum omni virtutum coetu divinitus infusarum caritas regina : tantumque ex iis actionibus, quae ex gratia exercentur pondus accedit, ut dignae sint praemio beatae ac sempiternae vitae, ac gloria illa cælesti animae gratia ornatae ; atque etiam debentur ut merces laboranti, ut corona vincenti, ut haereditas filiae.

5m Caput est considerare quantum quisque gratiae debeat, et quantopere ab ea pendeat, nihil enim nec cogitare quidem viribus tantum naturae potest, sicut oportet ad salutem aeternam, sed gratia illum excitat ad agendum, comitatur et adjuvat agentem ; et quamvis liber in omnibus adsit homini consensus, hic ipse tamen ad aeternam salutem vim, tanquam ex semine, fonte, ac principio ducit ex gratia ; qua ex re duplex affectus concipiendus est, unus extremae humilitatis cum revera, quantum in ipso homine est nihil sit, nisi foeda sentina, et si quid facit coelo dignum gratiae acceptum referre debeat, alter magnae fiduciae ut gratia collaborante nihil quod ad divinum obsequium pertineat desperet, audacterque cum apostolo sentiat, et dicat : omnia possum in eo qui me confortat.

De studio excolendae et augendae divinae gratiae ad tepiditatem fugiendam. Med.

Quia haec cultura maxime consistit in evellendis ex anima vitiis ac vetere homine, quantum fieri potest destruendo, consideranda sunt ea quae nos ad hoc studium incitare possint.

P^m^ Caput est considerare hoc valde decorum esse.

1^o^ Cum divina gratia magnum quiddam ac sanctum sit, et quasi hospes e cœlo delapsus, decet eam honeste asservari, non in tugurio sordido, nec inter foeda monstra, vel turbam tumultuantem perturbationum effraenatarum pravarum consuetudinum.

2^o^ Quia cum homo receptus in amicitiam Dei per gratiam incipiat cum eo frequenter et familiariter versari, praesertim per sacrosanctam Eucharistiam, decet eum curare ut quantum potest in eleganti, ac mundo cultu coram tanto principe appareat.

3^o^ Quia qui gratiam suscipit Christum ipsum induit, secundum Apostoli verba induimini Dominum nostrum Jesum Christum, qui autem pretioso induitur vestitu tum veterem vilem abjicit, tum sollicitus est novum ne maculet; quid igitur is faciet qui pro veste Dominum Jesum circumfert?

2^m^ est considerare esse valde utile incrementum enim gratiae pretiosissimum est et videtur tantum differre inter primam gratiam, quasi recens natam, et eandem auctam, et quasi adultam, quantum differt inter infantem ac virum, inter novellam stirpem, atque eamdem in arborem proceram ac fructibus onustam.

3^m^ est considerare, non fieri solum posse sed facile ac suaviter, 1^m^ quia gratia non datur homini, ut in 1^o^ illius gradu consistat, sed ut altius ascendat. Unde est quasi semen quoddam et virtute continet quicquid necessarium est, ut per ipsam novus homo in virum perfectum vero similem possit crescere; quare sicut alia semina ita et gratia, et quidem tanto magis, quanto est preciosior, laborem culturae postulat, sed hic suavis est quia ipsamet gratia si quis illi magna cum fiducia innitatur collaborans opus jucundissimum reddit.

2^o^ Quia plurimis ad hoc studium stimulis et auxiliis adjuvamur, quae divina bonitas ad hoc ipsum scilicet ut proficeremus in

sanctitate comparavit, qualia sunt interiores mentis illustrationes ac motus, sacramentorum usus, Christi merita, sacra doctrina, piorum exempla et monita, quibus rebus qui uti velit ad ommem virtutem facile convolabit, et contra qui uti negligit, otiosaque et inutilia reddit, injuriam magnam facit auctori et gratiam ipsam eo fructu ad quem data est fraudat, quamobrem timeat summopere, ne de abscondito talento det poenas.

4m Non solum fieri posse sed etiam debere cum omnes debeant aliquomodo tendere ad perfectionem.

1m enim Christus Dominus sine ulla exceptione omnibus dicit; estote perfecti.

2o Sanctorum omnium una est vox, in via Dei nullum esse statum; si quis non procedat hoc ipso recedere, at hic recessus non potest culpa carere, ad quam vitandam curandum est omnibus ut procedant.

3o Cum nemini liceat in suorum bonorum custodia esse negligentem multo magis tenebuntur ad accuratam gratiae custodiam, cum sit praestantissimum bonum; qui vero de progressu non laborat is sine dubio in ea custodia negligens est et periculum ne gratia ipsa discedat, incurrit: nam quemadmodum aqua non fluens corrumpitur ita gratia perseverare diu otiosa non potest. Cum autem hoc debitum, et tendendi ad perfectionem et conservandae gratiae commune sit omnibus religiosos tamen multis nominibus adstringit.

4m hoc fieri debere et esse necessarium propter plurima mala semina, quae alioquin subrepentia hoc divinum suffocant, et enervant sive enecant.

Quod item intelligitur similitudine hostium nondum penitus domitorum, cogitando quam sit etiam post deletum peccatum miserabilis et infirma nostra natura. Cum enim una cum gratia resideant in homine ingeniti illi malorum igniculi ac fomes, amor sui, appetitiones effrænatae, propensiones ad deteriora, consuetudines pravae quasi altera natura, accedantque extrinsecus quam plurimae ad peccandum illecebrae, occasiones, vel licitationes, nisi in assidua quisque ac diligenti custodia consistat, eriget paulatim sese vetus homo ac fœdere juncto cum diabolo mundo, et carne contra novum hominem, qui secundum Deum genitus est per primam gratiam, sed infirmam adhuc et parvulam, adeo grave movebit bellum, ut eum multis

primum venialibus peccatis debilitatum, tandem uno aliquo mortifero extincturus sit, a qno periculo abesse qui vult, is necesse est veterem hominem nunquam sinat conquiescere, sed in dies magis magisque impingat ac conterat.

6m est ut magis accendamur ad pugnam considerare cur Deus voluerit etiam post susceptam gratiam superesse in anima tantum laborum et certaminum materiam: causae aliae ex Deo, aliae ex nobis ducuntur, una ex dæmone ipso.

Ex Deo 1m quia culpam remittens misericordiam suam ut ostendit, ita vult justitiam suam ostendere per hasce poenas, relinquit igitur illas, ut sint nobis monitor assiduus, qui a peccato revocet suggerens quam grave sit et quantum Deo displiceat. Similiter atque si rex aliquis reginam adulteram postquam in amicitiam recepisset, non eadem prorsus qua prius suavitate tractaret, ut sui flagitii illa memor, et caveret in posterum, et regis benignitatem oblivisci non posset.

2o Vult Deus ostendere vim dexterae suae dum fragilem corruptamque naturam nostram ita firmat ac roborat, ut plus etc, faciat, quam faceret integra, adeo ut per eam divina gratia, universam turbam spirituum infernorum et mundi omnes impetus et carnis illecebras devincat, quod perinde est at si plumbeo gladio aliquis perpetraret, quod aliquis vix ferreo posset.

3o Tum ut Christi Domini patientiam imitemur dum alacriter toleramus famem, sitim, laborem, frigus, morbos, tentationes, intestinam pugnam et cœtera primi peccati monumenta, tum simul virtutem ejus cruciatuum patefaciamus; ex qua scilicet fit ut peccatum quod malum est voluntarium detestemur, has autem poenas minime voluntarias amplectamur. Altera vero causa. Relicta sunt ut habeamus materias plurimas et egregias virtutes acquirendi et exercendi. Hinc enim prae cæteris fortitudo, temperantia, studium precandi ad superandos timores, ad cohibendas cupiditates, ad auxilium a Deo impetrandum oriuntur: atque hinc rursus martyrum et religiosorum virorum et virginum praeclara agmina aliique viri sanctissimi extiterunt.

2o Quod ex proximo sequitur, ut occasio nobis esset magnos variorum meritorum thesauros colligendi.

3o Ut corona justitiae in caelo victoribus redderetur, et in prae-

senti cupiditas quae tyrannice rationis dominatum invaserat, viva in rationis veniret manus, cui tanto plures pareret triumphos quanto sæpius rebellare tentaret.

Denique causa diaboli ipsius est, ut tanto majore infamia superbissimus latro opprimatur, qui multo magis quam olim Goliath aegre fert, rabieque disrumpitur cum se videt ab infirmissimis turpiter prosterni.

De quatuor novissimis.
De morte.

1^m^ praeludium est proponere sibi ante oculos hominem moribundum, et intueri in lectulo protensum, animam jam agentem, undequaque obsessum et in summas redactum angustias, hinc morbo, hinc conscientia, hinc daemonibus, hinc aliis rebus opprimentibus.

2^m^ Praeludium precari a Deo vim ac lumen optime perpendendi et intelligendi quanta sit in eo articulo difficultas, ut ad eum nos melius expediendum per emendationem vitae comparemus.

1^m^ caput est considerare nonnullas condiciones quae mortem horribilem reddunt.

1^a^ Mors certissima est nec vitari potest et quotidie aliquos videmus e nostris et alienis ferri ad sepulchrum, quotquot fuerunt morti cesserunt, et quotquot erunt, cedent. Via igitur nulla patet vel ad victoriam, vel ad fugam, quia constitutum est hominibus semel mori.

2^a^ est tamen incertissima ; tum quod pertinet ad tempus, quis enim audet sibi diem crastinum polliceri ? Tum quod pertinet ad locum, et quod gravius est quod pertinet ad gravitatem ac genus : nemo enim scit an bene, an male sit vitam terminaturus, an per vim alienam, an per naturalem morbum. Quae sane cogitatio nos in perpetuo timore ac vigilia debet continere, cum ex una parte innumerabilia sint in rebus mortalibus, ex quibus nobis perpetuo mors imminet, ac prope modum nihil sit, quod non queat nos extinguere. Ex altera vero parte nesciamus quid illud sit quod nos tandem extinguat.

Quis animus ac sensus illius esset, qui et districtis gladiis et spiculis intentis, et canibus et ursis, tigribus, leonibus, aliisque belluis etiam venenatis undique circumseptus necessario sibi videret in

aliquod eorum incurrendum sed in quodnam potissimum esset incursurus ignoraret.

3ª non solum incerta mors est, sed etiam nullo negotio nos opprimit ; vita enim nostra inermis ac vitro fragilior est, plurimis etiam repentinis casibus frangitur.

4º Nec solum facile ac sine labore mors homines dejicit, sed etiam cito, quantula enim est vita nostra et quid est aliud nisi cursus ad mortem ?

5º Cum autem semel mors vicit nullum relinquit locum remedio; qui semel occidit, frustra deinde vitam requiret, ut possit male facta emendare. Mortis illud momentum est ex quo pendet aeternitas.

De discrimine inter hominum sceleratorum ac piorum mortem.

Considerandum est magnum esse discrimen inter hominum sceleratorum ac piorum mortem. Mors enim sceleratorum pessima, et contra, pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus ; si quidem iniqui turbabuntur timore horribili.

Pm quia videbunt sibi, velint, nolint necessario ea relinquenda esse qaae prius tantopere dilexerant, tot laboribus ac periculis quaesiverunt, in quibus suam spem ac foelicitatem constituerunt ; per vim igitur animus iis adeo conglutinatus abstrahendus erit, nec videbunt quicquam sibi reliquum nisi peccata, quae sola quamvis inviti secum asportare cogentur.

2º Quia vehementer perturbabuntur et erubescent ob commissa scelera, quae singula tum tanquam in bono lumine cernent, ac suis ponderibus examinabunt.

3º Quia terrificis daemonum formis ac spectris agitabuntur a quibus graviter ut in extrema certaminis hora oppugnabuntur et tum ad alia mala, tum ad desperationem maxime impellant.

4º Quia severitatem justitiae divinae formidabunt seseque statim ante Dei tribunal sistendos intelligant, ut totius vitae rationem etiam otiosis verbis severissime reddant.

Homines vero justi quamvis pro naturae conditione mortem horreant, ut etiam horruit Christus qui coepit timere et pavere, eam tamen libenter excipient.

1m Ut ad divinum se nutum accommodent sine quo ne folium quidem suo loco dimovetur.

2o Quia videbunt se mole corporis expediri rebusque terrenis levari quibus distinebantur ne sicuti optabant suo procreatori intime adhaererent.

3o Quia testimonio bonae conscientiae divinaque freti misericordia et Christi sanguine sperabunt se ab hujus vitae calamitatibus brevi facilique trajectu in fœlicitatis aeternae portum perventuros.

Postremo cogitabunt suam mortem sanctissimae Christi mortis imitationem aliquam esse, nec postquam Christi Domini dulcissima caritas, mortem attigit in ea quicquam resedisse amarum, cum ipse Dominus mori voluerit, ut amicorum suorum mortem plurimis aspergeret voluptatibus.

De poenis quae quasi satellites praeeunt mortem ac de ipso mortis articulo.

Circa poenas quae quasi satellites ac nuncii praeeunt mortem considerandum est.

1m ipse corporis morbus variique variis in membris dolores hominem moribundum opprimunt.

Tum ipse horror, ac metus mortis, cum vita ipsa vitaeque commoda omnia relinquenda sint, qui horror augebitur cogitatione aeternitatis ignorantibus nobis, quae sit futura conditio nostra utra nos maneat foelicitatisne an calamitatis aeternitas. Accedent circum volantium daemonum, et in summo certamine vires omnes et artes experientium ad fidem, vel spem, vel caritatem in nobis ac virtutes caeteras evertendas scientium quia modicus tempus habeant, et ita possumus nobis imaginari hominem tanquam arcem, et a doloribus corpus everti, a daemonibus vero animam ut inde pellatur ipsius cultor.

4m est considerare ipsius mortis articulum ac supremam luctantis animae agoniam. Haec autem sunt perpendenda.

In primis phantasia ac sensus omnes tum valde cruciantur, quia sunt ab anima tam intima tamque cara societate segregandi.

Deinde quoquo se vertat miser homo in causas maximas angoris incurrit. Si oculos tollat in coelum, gladium divinae justitiae distric-

tum suisque imminentem cervicibus intuetur. Si dejiciat ad inferos baratrum et paratam metuit carnificinam. Si in sese convertat conscientiae stimulos sentit.

Si circumferat daemonum videt inconditam turbam vociferantium et accusantium. Si retorqueat ad praeteritum tempus, omnia quibus hactenus usus est, in quibus praesidium posuerat suum videt evanuisse. Itaque omni auxilio carens, aliud ipsi remedii non superierit quam ad Deum B. Virginem et sanctos confugere.

De eo quod accidit animae statim ac a corpore sejungitur.

1m sistitur statim anima ad Dei tribunal omni auxilio patrocinio et consilio spoliata suam ut causam per se dicat et agat ; quod si aliqua etiam levi criminis nota se videat inquinatam, gravius fert cum ea macula coram Deo apparere, quam quaevis supplicia perpeti, tam foeda judicatur peccati facies, ubi sine corporis nube purius cernitur.

2o Forma iudicii quae in singulos statim exercetur erit hujusmodi : vita, vocatio, numera, ac ministeria, cujusque simul dicta, cogitata, facta vocabuntur in cognitionem ; conscientia, angelus custos, diabolus, accusatorum agent partes ac testium ; imo ipsa B. Virgo sanctissimique viri, iique omnes quibuscum egerit quispiam, et quorum opera proficere potuit, ac tandem judex incorruptus, atque inexorabilis sententiam pronunciabit de gaudio vel de cruciatu sempiterno.

3o Considerandum est quale post discessum animae maneat corpus, quam foedum, tetrum ac foetidum cadaver, pabulum vermium etc. cui tamen dum vivant homines adeo indulgent.

Colloquium ita erit : ponemus nobis ante oculos Christum Dominum e cruce pendentem ac audiamus ejus paternam vocem, qua graviter invehatur in nostram socordiam et incogitantiam : quod ejus beneficiis et occasionibus bene vivendi, quas nobis affert male utamur, ac simul adhortetur ad mutandam vitam seque mortuum ut nos in aeternum non periremus, se paratum ad veniam et ad auxilia uberiora concedendo, occasionem fortasse nunquam talem futuram nisi praesentem arripiamus. Ad quem nos respondebimus, quae affectus apposite suggeret.

Praeparatio ad mortem.

Meditationis proximae fructus debet esse praeparatio ad mortem ; hoc autem continet duas partes. Quaedam enim ab adhuc valentibus fieri oportet, quaedam ab aegrotantibus, quae plurimum confert prius saepe considerasse, et alte animo fixisse cum voluntate exequendi ut cum morbus opprimit facilius fiant.

1m praeludium est audire Christum Dominum hac de re saepe ac serio nos commonentem dum clamat : Estote parati quia nescitis qua hora filius hominis venturus sit. Matt. 29. Vigilate quia nescitis etc. Beatus ille servus etc. Marc 23. Vigilate nescitis enim quando Dominus domus veniet, serone an media nocte an galli cantu, an mane, ne cum venerit inveniat vos dormientes Luc. 12. Estote parati quia qua hora non putatis filius hominis veniet Matt. 25. Vigilate quia nescitis diem neque horam.

2m Praeludium est precari a Deo, ut rem tanti momenti quanti est bona ad mortem praeparatio, cum ipsius sit singulare donum, nobis pro sua pietate infinita ipse impertire dignetur, ne nos mors, aut imparatos aut male paratos occupet.

1m Caput est summam hujus praeparationis in hoc consistere, ut anima nostra in tali puritatis gradu consistat ut in eo momento quo egreditur e corpore, nulla sit labes per quam cœlo, ac beatitudine in aeternum excludatur : in hoc enim summa est rerum. Perscrutetur igitur quisque suam conscientiam, rationesque ut vellet in eo articulo esse compositas ita componat in præsenti sine ulla mora.

1o Enim potest repentino aliquo casu aut infortunio opprimi.

2o Potest repente occupari morbo, ejusque vi de statu mentis dejici aut sensuum usu privari.

3o Ipsa morbi ac dolorum gravitate vehementer impediri.

4o Justo Dei judicio tunc potest illi ea divinae gratiae ubertas negari, quae nunc in promptu est ; cum praesertim propter multas et graves difficultates eo tempore praecipuum quoddam auxilium sit necessarium.

Postremo quaeritur preparatio illa, quam ingruente morte timor quodammodo extorquet, nec adeo pura est nec tanti meriti, imo aliquando est vana et ficta. Idcirco quantum cum divina gratia fieri poterit, unusquisque summa cura ac vigilantia dabit operam ut se ab

omni labe purum tueatur ac si quam aliquando contraxit, eam statim dolore ac confessione detergat, quam item confessionem ita instituat ac si morte jam jam instante, illa ultima esset futura.

2m Caput est ut quisque consideret actiones suas quotidianas, et totius vitae rationem ac diligenter inspiciat num quid sit, quod instante morte nollet vel aliter esse vellet : ac deinde omnia castiget, et emendet, adhibito pro norma ac regula judicio ac sensu illo quem haberet, si mors adesset sicut tradit B. P. Ign. in regulis electionis.

3m Caput est considerare, eo puncto temporis nihil fore, quod tantam sit voluptatem homini et consolationem allaturum quantam nulla in re suam sententiam ac voluntatem secutum esse sed in ministeriis ac rebus omnibus tum exiguis, tum magnis Dei nutui paruisse, quem superiores illius interpretes ac vicarii significabunt. Non enim omnis qui dicit mihi Domine Domine etc. ait Christus intrabit in regnum cælorum sed qui fecerit voluntatem Patris mei : ille autem qui se sua sponte, suo judicio spoliaverit, et alii subjecerit homini ut Dei voluntatem certius sequeretur, cum id sibi conscius erit se fideliter pro viribus praestitisse, non poterit non bono et magno ac securo animo esse in morte, siquidem dicet Deo, quicquid egi, quidquid volui, Domine tu jussisti.

2o Magnam etiam consolationem tum homini affert multas pertulisse calamitates, ac miserias tum animi, tum corporis, si videlicet patienter et alacriter ferre ad Dei gloriam conatus fuerit.

3o Operam serio dedisse sensuum mortificationi.

4o Sponte rerum mortalium oblectatione quam etiam interdum honeste poterat usurpare, se fraudasse ex desiderio cælestis patriae ac divini conspectus, ut dicebat S. Rex. Fuerunt mihi lachrymae meae panes die ac nocte dum dicitur mihi quotidie ubi est Deus tuus.

4m caput. Multum etiam proderit si quis versatus fuerit in his rebus.

1o In meditandis nostrae fidei mysteriis cum alta et magnifica eorum aestimatione ac pio voluntatis affectu.

2o In iis cogitandis quae ad spem ac fiduciam de Deo concipiendam excitare possunt, contra vilitatem animi, nimirum timorem ac scrupulos,

3° In retundenda inani fiducia suorum meritorum et affectu illo quo nimium sibi suis in rebus homines solent placere.

4° In consuetudine atque intima conjunctione et quasi familiaritate cum Deo ac Christo Domino judice futuro.

5m Caput est frequenter a Deo precari ut illo potissimum in actu nobis velit adesse. Item Beatam Virginem ut tum ne nos deserat, sed ut summa est necessiias, ita cum summa benignitate nobis patrocinetur. Licebit etiam ex iis quae sanctissimi viri eo tempore gesserunt, formam aliquam ac veluti exemplar bonae ac piae mortis animo sibi fingere ac Deum precari ut ad eum modum velit nos e vita migrare.

Secunda pars praeparationis ad mortem.

Pm caput Initio morbi cum quis 1m decumbere incipit, cogitans (sed sine perturbatione ac sollicitudine ulla) morbum illum fortasse ultimum futurum tria faciat.

1° Conscientiam suam diligenter inspiciat, ac si quid deprehenderit quod expiatione egeat quam primum expiet sacramento poenitiae.

2° Deum rerum omnium Dominum agnoscens ac vitae speciatim suae, eam illi sponte ac alacriter offerat, paratus reddere quandocumque ipse repetat, gratias agens, quod ejus usuram tamdiu concesserit, simulque precetur ut tum maxime velit sibi suae gratiae copiam adesse, ut quas illo extremo accedunt difficultates, et ex vi morbi, et ex morbi acerbitate, ac potissimum ex daemonum oppugnationibus omnes exsuperet necnon et beatissimae Virginis et Angeli custodis et sanctorum quos habuit patronos tum praecipue patrocinium imploret.

3° Quod magni est momenti praevidens ac praecipiens animo eos omnes casus in quibus facile potest ad aliquid indecorum, ac minus dignum Christiano ac religioso homine prolabi vel vi dolorum vel difficultate curationis vel medentium aut infirmariorum vel alia quavis causa comparet se ad omnes eos casus fortiter perferendos, et statuat quantum fieri potest, vitia quaelibet evitare, ut cum Deum in vita glorificaverit, glorificet etiam in morte.

2m Caput morbi tempore si praesertim is abeat in longum, lucri occasionem ne praetermittat sed divitias spirituales cumulet, quantum potest animum sibi faciat ipse, seque excitet piis colloquiis cum iis a quibus invisitur, vel lectione earum rerum quae magis ei tempori conveniunt, suarumque necessitati, exerceat frequenter actus fidei, spei caritatis, doloris peccatorum, aliarumque virtutum semper videlicet mediocritate servata.

Item modo Sum Trinitatem salutet et alloquatur modo Deum ac dominum nostrum Jesum Christum, modo beatissimam Virginem, interdum singulos civium cœlestium choros, tum angelorum, tum hominum, patriachas, prophetas, apostolos etc. atque ex singulis ordinibus nominatim aliquem, quem praecipuum sibi delegerit tutorem ac ducem.

3m Caput cum morbus periculose ingravescit, magna cum animi submissione ac pietate roget sibi tribui consueta sacramenta Sacrosanctae Eucharistiae per modum viatici ac unctionem extremam. In his summam fiduciam reponat multoque majorem quam in qualibet sua praeparatione, vel quovis extrinseco adjumento, habent enim vires illa admirabiles ad confirmandos homines eo difficillimo temporis momento in quo agitur de summa rerum ; si vero illa impetrat, quam potest pie ac spe plenus bona suscipiat.

4m Caput cum jam denique incipit agere animam in agonia constitutus quantum tempus illud permittit, sociorum preces humiliter postulet, auresque ad illas si potest applicet ; quibus ejus anima Deo commendatur, ac se magis ac magis conjungere Christo Domino studeat excitans cupiditatem, tum ipsum videndi, ut simul purius ac melius laudet ac colat, tum ineundi beatam illam haereditatem ; quam tot ipse laboribus comparavit, inclamans cum S. Paulo : Cupio dissolui et esse cum Christo ; et cum Propheta : educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo, me expectant justi etc. Saepe iterans Jesus Maria cum intentione consequendi indulgentias. In manus tuas commendo spiritum meum : patienter ultimum Domini evocantis imperium praestoletur.

Sed cavendum est ne in tentationibus disserat cum daemone : imo confugiatur ad Christi gremium tanquam ad matrem, haec quatuor verba tantum contra daemonem proferendo.

Spero, Credo, Amo, Doleo.

De supremo ac generali judicio.

P^m praeludium est ponere sibi ante oculos reum aliquem in plurimis et maximis facinoribus deprehensum, et cogitare quo is cum timore atque horrore coram severo judice adesset, si sciret ab eo sententiam contra se pronunciandam, statimque post eam se aeerbissimis doloribus ac suppliciis excruciandum, raptandum adurendum, discerpendum in frusta etc. multo enim majore cum horrore cogentur impii coram aequissimo judice Christo Domino apparere et multo formidabiliorem sententiam expectabunt per quam furori daemonum permittantur repentino terrae hiatu in baratrum absorbendi, ubi in omnem aeternitatem acerbissime excarnificentur.

2^m praeludium est petere a Deo lumen et sensum quo intelligamus et sentiamus, quam sit judicium illud horrificum et formidabile futurum,

P^m Caput est considerare horrifica signa et prodigia quae actioni ipsi ac judicio præludent, rerum universitas omnium veluti instructa acie sumet arma pugnabitque contra impios, et sui procreatoris injurias ulciscetur.

Sol, luna sidera iis qui dilexerunt magis tenebras quam lucem suum negabunt lumen, ac veluti atro et lugubri cooperta panno luctum minitabuntur et mortem. Virtutes caelorum movebuntur contra eos qui superbe se contra cœli conditorem extulerunt. Eosdem sonitus fluctuum maris turbabit, quo turbulentis perturbationum motibus ac fluctibus cor suum perpetuo agitari voluerunt, concussio ac tremor terrebit eos, quia dum vitam duxerunt sanctum a se timorem repulerunt.

Apparebit denique gloriosissimum e caelo signum filii hominis ; cujus aspectum vehementissime perhorrescant quia carnis ac saeculi delitias adamarunt crucis inimici.

2^m Caput personante illa ingenti tuba omnes repente redivivi resurgent, ut ad judicium cum anima et corpore conveniant, ubi Angelorum ministerio fiet illa moestissima segregatio hoedorum ab agnis, et justorum corpora lucidiora sole nullis amplius obnoxia doloribus, subtilia leviaque erunt ad nutum animi obsequentia.

Contra vero impiorum tenebricosa ac tetra gravia turpia quamvis dolorum capacia, multo foediora quam cum in sepulchris cadavera putrescebant scalentia vermibus ac sanie tabeque fluentia.

3m Caput est considerare quo animi cruciatu distorquendi sint scelerati, cum coram Deo, qui summa est integritas, ac bonitas, se lutulentos, ac fœdissime coinquinatos statuere cogentur. Cum in oculis Bao Virginis, Angeli Custodis, omnium SS. et omnium denique gentium eorum pudenda revelabuntur, atque ipsi plane videbunt sua omnia, et quae maxime occulta esse voluissent, cum publico spectaculo exposita esse, et clarius quam in meridiana luce coram omnibus conspici.

De universali judicio
Pars altera.

Pm caput. Considerandum est qui sit futurus terror ex judice, cum scilicet miserabilis homuncio, in tot facinoribus veluti manifesto in furto deprehensus ad judicem ducetur, quem scit esse adeo sapientem, ut nulla de re possit celari ; cum ipsas etiam arcanas cordium cogitationes intueatur : adeo integrum ut nullis muneribus corrumpi, nullis ullius precibus, nulla gratia flecti queat: adeo potentem ut nihil sit quod ejus voluntati se audeat objicere, adeo denique laesum irritatum, atque idcirco iratum. Haec cogitatio ita miseros nocentes macerabit, atque conficiet, ut sint optaturi potius terra dehiscente hauriri, vel supra injectis montibus obrui quam coram tali judice cogi adesse.

2m caput est ; considerare multitudinem accusatorum ac testium qui contra noxios clamabunt.

1m adversus eos stabunt res omnes, cum iis ipsis ad communis parentis ac Domini injuriam quodammodo invitis abusi sint.

2o Sacrae litterae ac Dei monita, quibus toties ad curam suae salutis invitati obstinati aures occluserunt.

3o Propria cujusque conscientia, quae tum maxime allatrabit, mordebitque, et tanquam in libro descripta vel in tabula depicta sua cuique peccata contemplanda obtundet, cum singulorum numero et coeteris conditionibus.

4o Daemones qui magna cum impudentia et pervicacia malefacta illis exprobrabunt.

5o Angeli ac precipue custodes qui palam Deo et aliis omnibus contestabuntur nihil a se omissum esse viasque et rationes varias

aperiunt quibus suae curae commissos ad pietatem pellicere conati sunt.

6° Sancti viri, ac praesertim eorum patroni, quos nec audire nec imitari voluerunt.

Denique omnia praeclara Christi Domini, gesta, labores, doctrina, dolores, sanguis, mors, thesaurus infinitus meritorum, quae omnia sibi ad salutem tam copiose et benigne comparata, ingrate et impie conculcarunt.

3m Caput est considerare quam severa, ac minuta futura sit inquisitio et cognito criminum, unusquisque enim.

1m iuterrogabitur et cogetur reddere rationem de anima sua et bonis ad eam pertinentibus, de ejus facultatibus ac viribus, de memoria. intelligentia, voluntate, de actibus et scientiis quas habuit: virtutibus tum iis quae secundum naturam sunt, tum iis, quae divinitus infunduntur; de gratia divina, de sacrorum mysteriorum usu, de naturae dotibus; nam cui multum datum est multum exigetur ab eo, et cui commendaverunt multum plus petent.

2° De corpore, cunctisque ejus bonis, de valetudine robore, viribus, specie, sensibus etc.

3° De tempore ad bene agendum concesso.

4° De opportunitatibus et adminiculis quae quisque ad sanctitatem in suae vitae statu habuerit.

5° De peccatis, tum cogitatione tum locutione, tum actione aut omissione admissis.

6° De beneficiis a Deo et communiter et privatim acceptis.

7° De muneribus ac ministeriis exercitis ac statu vitae proprio.

4m Caput. Quemadmodum cum summo gaudio justi vocem judicis ad æternam eos felicitatem vocantis audient, ita contra severa illa verba: Ite maledicti in ignem aeternum etc. tanquam fulmen impios vulnerabunt atque prosternent. Illico enim terra horrendo hiatu patefacta cum daemonibus in gehennam praecipites ruent; neque solum immensum haurient dolorem, ex ira qua Christus e suo conspectu eos amandabit, sed etiam quia videbunt se in omnem aeternitatem a bonorum Societate et cujusvis jucunditatis communione segregatos, atquc ejectos in teterrimum carcerem ubi sint poenas acerbissimas sine ullo fructu sine spe ulla daturi sempiternas. Colloquium fiet cum

Christi Domino ; rogabimus ut ita det in praesentia vivere ut ante ipsum judicem securi aliquando appareamus.

De poenis inferni.

In meditatione hujus novissimi finis ut homo ex cogitatione et cognitione poenarum quibus peccatum mortiferum a Deo punitur grave odium adversus illud concipiat, statuatque tum bene ipse vivere, tum alios adjuvare, ne tot in mala incidant.

P^m praeludium hic habet compositionem loci imaginariam, nempe cogitatione spectare vastitatem horribilem locorum, longitudinem latitudinem, profunditatem inferorum.

2^m praeludium consistit in poscenda intima poenarum, quas damnati luunt, apprehensione ut si quando me ceperit divini amoris oblivio, saltem a peccatis supplicii timor coerceat.

In 1° capite 1^m consideranda et contemplanda est loci ipsius miserrima conditio quam sit horribilis.

2° Ob foeditatem in illum enim veluti in sentinam et cloacam teterrimam dejiciendae sunt omnes sordes mundi ut peccatorum foeditati poena respondeat.

2° Ob densam caliginem, et noctem cum ita sit undequaque occlusus, ut nulla ex parte ullus lucis radius aspirare nequeat in justam sceleratorum poenam, qui vitiorum tenebras magis quam lucem divinae gratiae dilexerunt.

3° Ob angustias, tanta enim multitudo erit ut se mutuo oppressura sint corpora damnatorum, et has merentur angustias qui cor suum aperire in eoque locum Deo praebere noluerunt, qui stat ad ostium et pulsat.

4° Ob profunditatem et recessum, aequissimum enim est ut qui sponte a Deo, per sua crimina recesserunt ii in baratrum et in infimum mundi locum a cœlo remotissimum conjiciantur.

2° Videndum est quam misera et acerba futura sit societas damnatorum.

1° Quia erunt quovis monstro turpiores, et quovis putri cadavere foediores.

2° Quia omnes prae dolorum acerbitate horrendum in modum perpetuo vociferabuntur ejulabunt, ululabunt.

3° Cum omnes projecti, ac penitus destituti spe, ac viribus jaceant nullus erit qui possit socio spem ullam afferre.

4° Quin potius quia rabie se mutuo insectabuntur et omnes Dei nomen SS^um^ blasphemando diris excruciabuntur poenis.

3° Spectanda est horribilis daemonum turba qui noxiis cruciandis addicti eos torquebunt.

1° Aspectu suo horribili ac teterrimo.

2° Vi et potestate, cui obsistere miseri nullo modo poterunt.

3ª Crudelitate inexplebili, qua illos quam maxime cupiunt divexare, quamque omnem exprement.

4° Multitudine prope innumerabili, omnes enim tandem in tetrum illum carcerem includentur ubi certatim iram, et furorem in miseros homines effundent qui in eorum manus inciderint.

De iisdem poenis.

P^m^ caput est audire clamores gemitus ululatus blasphemias ex ex tenebricoso illo specu erumpentes qua pœna nos judicabimus dignos eo quod aures divinis vocibus toties obstruxerimus.

2^m^ est mentis olfactu fumum, sulphur et sentinae cujusdam aut cadaverum putrescentium graveolentiam persentire, ex eoque argumentari nos talem poenam esse commeritos, qui morum nostrorum foetido ac pestifero habitu omnes corrupimus, nec voluimus suavitatem virtutis, nec bonum Christi odorem, qui ex sanctis sociis, quibuscum egimus efflabatur, excipere.

Hic foetor ex quatuor oritur.

1^m^ ex societate daemonum qui sunt foetidissimi, ascendet foetor ejus, et ascendet putredo ejus quia superbe egit (Joel II).

2° ex supplicio quo punientur, erit enim foetidum quia sulphureum, ignis sulphur spiritus procellarum (ps. 10) ad cujus rei confirmationem Deus sulphure et igne civitates illas exterminavit. (Isa. 34)

3° Ex foetore ipsius loci inferorum enim terra foedissima est, in inferno enim immunda et spuria tanquam in sentina congregabuntur.

4° Ex foetore corporum damnatorum quae erunt foetidissima, de cadaveribus eorum ascendit foetor.

3m Caput est gustare res amarissimas ut lacrymas rancorem, conscientiae vermem. Orietur haec amarities,

1m Ex poena quae dicitur damni, quae gravissima est, videbit enim anima se Deo summo bono ac fine privatam per suam perversitatem ac voluntariam dementiam, creata enim fuit ad gloriam consequendam, illaque fruendam.

2o Ex conscientiae verme qui cor impii perpetuo rodet ac lacerabit assidue illi sua scelera objiciendo.

3o Ex cruciatu quem damnatorun quisque sentiet in omnibus animae facultatibus, phantasiæ obversabuntur rerum odiosarum imagines. Judicium impendentium poenarum expectatione ac metu terrebitur. Memoriam praesentium malorum sensus, praeteritorum bonorum recordatio torquebit. Cupiditatem desiderium, ac dolor amissarum rerum quas amabat. Intelligentiam infinitae prope dolorum causae quas clare perspiciet. Voluntas autem prae coeteris malis, ex ipso odio quo contra Deum, et invidia qua contra beatos ardebit amarulentiam intolerabilem sentiet. Cogitet igitur quisque harum rerum acerbissimum gustum saepius se meruisse, cum porcorum cibos appetiit, et paratas sibi ad Deo suavissimas rerum spiritualium epulas repudiavit.

De pœna tactus.

Ut melius percipiamus dolorem quem damnati tactu sentiunt cogitandum est.

1m acriter cruciandos esse ab omnibus elementis ab igne quo ita excoquentur, ut illi comparatum ipsum apud nos aestuantis fornacis incendium vanum ac pictum videatur, secundum D. Aug. sententiam quo igne tum in corpore tum in animo cruciabuntur. Ab aere tetra ac palbabili caligine et noxiis affectionibus.

Ab aqua frigore ac gelu.

A terræ pondere et angustiis, quibus gemitus saepe emittent.

2o Ab omnibus rebus creatis eo quod ipsis ad sui ipsarum que Domini et parentis injuriam abusi sunt, quare verberabuntur lacerabuntur concidentur in frusta a belluis diris venenatisque

mordebuniur etc. atque aliis poenarum infinitis formis excruciabuntur.

3° Videbunt se omnino spoliatos omni auxilio, quiete libertate, voluptate, vi in sempiternam oblivionem projectos, nemine de ipsis ullo modo in tantis malis sublevandis cogitante, non Deo non Angelis, non amicis : qua ex re immani quodam desperationis pondere oppressi, afflicti penitus ac fracti suis in miseriis volutabuntur, ne sibi quidem ipsis miserando.

4° Acerbitas denique suppliciorum illorum hujusmodi erit ut longe multumque superatum sit quodcumque supplicium ex iis quae in hac vita atrocissima censentur.

1m enim erunt vehementissima, intensissima ac sine levamento et intermissione.

2° Maxime universalia totumque hominem torquentia intrinsecns extrinsecus, in anima, corpore singulisque membris sensibus ac facultatibus.

3° Erunt sine ullo fructu, atque utilitate ac per vim a coactis exhaurientur, non ut vulnera quae accipiuntur a medico nam ex illis sanitas speratur.

4° In omnem aeternitatem vivent nullum unquam finem aut terminum habitura

1m Quia Deum damnati bonum infinitum injuria affecerunt.

2° Quia in inferno meritum non potest acquiri, quodcunque potest facere manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio nec scientia nec sapientia erunt apud inferos.

3° Quia nunquam inde egredi poterunt, cum nullum ibi possit condonari peccatum quia in inferno gratia Dei non est, quae vulnerum est emplastrum atque ligatura.

In colloquio Christum Dominum alloquentes revocabimus nobis in memoriam eorum animas qui damnati sunt ad haec inferni tormenta, sive quia noluerunt Christum excipere, sive quia non congruenter legi Christianae vixerunt, ac denique gratias agemus, quod ad hunc usque diem nobis vitam ac spatium poenitentiae concesserit juxta exercitium de inf. B. P. N. Ignat.

De fœlici statu Beatorum.

P^m praeludium est ut quis 1^m cogitet quam se fortunatum putaret, si viam inveniret qua tutus securusque, ab omni morbo corporis ac mentis aegritudine, mundi totius dominus, divitiis, honoribus voluptatibus quibuscumque accumulatissimam vitam diu duceret, tum colligat haec omnia, cum beatitudine quam Deus nobis paravit, collata, nulla esse.

2^m praeludium petere a Deo intimum desiderium cœlestis beatitudinis.

P^m caput est considerare quantum sit futurum hominis beati gaudium, cum ex mundi hujus naufragio, salvum se videns in portu tanquam ex monte, manifesta in luce respiciet pericula a quibus ereptus est, multitudinem pereuntium, sui status aeternam quietem, liberam ab omni mutabilitate ac periculo peccandi: qua ex re non poterit satis unquam et Dei bonitatem, et suos etiam praeteritos labores praedicare quos tum cum mercede collatos nihil aestimabit..

2^m caput est considerare qualitatem ac praestantiam loci, is erit caelum empyreum situ altissimum ac supremum, amplitudine maximum, materia pretiosissimum, fama pulcherrimum et ornatissimum; quippe cum illud sit regnum ex ipso rerum initio paratum electis, ab optimo sapientissimo ac praepotentissimo patre ac Domino ad suam gloriam ostendendam et suos filios cohonestandos ac beandos. Nam si mundus hic noster exilii locus, diversorium bonorum aeque ac malorum amicorum Dei et inimicorum, commune etiam hominum cum bestiis, tanta rerum varietate, tantoque ornatu admirabilis est, quaenam erit pulchritudo regiae domus ac regni ad quietem et voluptatem duntaxat amicorum, angelorum, et hominum compararum.

3^m Caput quantum sit gaudium futurum ex amore quo se beati a Deo diligi ac dilectos esse videbunt, quem amorem jam talem fuisse intelligent, ut se licet nocentes, ac divinae Majestatis voluntarios inimicos, tamen liberaliter expiavit et ad tantam fœlicitatem perduxerit, non aeternis poenis ut meriti erant cruciarit.

De eadem re

Primum caput est considerare quantum qualeque futurum sit gaudium quod percipient Beati ex genere, ac multitudine sociorum, hominum scilicet atque Angelorum.

Tum ob mutuam caritatem, qua alter alterius et unusquisque omnium bonis fruetur, ut suis.

Tum ob admirabilem pulchritudinem qua singuli clarius sole fulgebunt.

Tum ob nobilitatem cum sint omnes delecti ac probati Reges, filii Dei, fratres Christi ejusdemque meritis ac sanguine decorati.

Tum denique ob ordinem pulcherrimum, quia singuli cernentur, in loco ac dignitate ac sede suis meritis respondente sapientissime collocati ubi reciproca humilitate, inviolabili ac dulcissima pace valde erit jucundum dimorari.

2m Caput est considerare quantum gaudium, quantamve laetitiam percepturi sint Beati ex jucundissimo conspectu humanitatis Christi Domini.

1m enim summopere gaudebunt, ipsi Domino gratulabuntur, de innumerabilibus ac maximis donis, gratiae ac gloriae, quae ejus tum animae tum corpori videbunt esse collata ; anima enim quo magis ac excellentius fruitur Deo, eo majorem gloriam corpori secundo beatitudinis objecto communicat.

2o Videbunt se per merita hujus humanitatis ereptos ab aeternis cruciatibus, et plurimis ornatos beneficiis dum versarentur in terris, ac denique illam ipsam, qua fruentur, beatitudinem assecutos.

3o Plurimum laetabuntur de unione hypostatica humanitatis cum verbo divino, cum videbunt eumdem et hominem esse et Deum, uniusque ejusdem cum sua natura rerum omnium procreatorem ac Dominum esse ac sedere ad dexteram Patris ; quantum gauderet aliquis si videret concivem suum, amicum, consanguineum, fratrem etc. ad episcopatus, Purpuratorum atque Pontificum dignitatem evectum.

3m Caput erit, considerare quantum item laetentur Beati, secundum Christum ex Beatissimae Virginis Deiparae conspectu. Tum quia videbunt eam non solum nobilitate, sanctitate pulchritudine, qualibet pura natura creata celsiorem, verum etiam omnibus et hominibus et Angelis beatiorem ad dexteram filii evectam admirabili animae et corporis gloria praefulgentem. Tum etiam ob beneficia magna et multa, quae per ipsam intelligent se a Deo consecutos. Tum etiam quia videbunt ipsam esse praecipue patronam Ecclesiae sanctae, Matrem misericordiae tutricem ac refugium miserorum,

adjutricem lapsorum. Tum denique quia videbunt eam delectam ex universa gentium multitudine ut esset Mater Dei pro qua dignitate, aliqua ratione infinita totus ille Beatorum cœtus illam eximie admiratur, veneratur ac celebrat.

De eadem re.

P^m^ caput est considerare quibus plausibus et amplexibus qua celebritate, pompa, laetitia excipiantur justorum animae in caelo et deducantur ab Angelorum et hominum choris : gaudent enim Sancti de salute aliorum, eorumque praecipue quorum fuere patroni : atque hi una cum Angelo custode animam recens advenientem suscipiunt, laudantque, quod se fortiter gesserit, nobilem que de seipsa et illecebris saeculi et infernis hostibus victoriam reportarit.

Anima vero maxime delectabitur honore, quo a suo Angelo custode cohonestabitur ; is enim illam deducet ac sustinebit veluti reginam, paulatimque ad beatitudinem evehet qua ex voluptate, anima altius ad Deum ascendet, eam a se in Deum, a Deoque in se reciprocans.

2^m^ Caput quantum sit gaudium futurum, post universale judicium, ex quatuor illis beatorum corporum dotibus, id est, subtilitate, impassibilitate, agilitate et claritate.

Itemque ex foelicitate sensuum, quorum singuli sua voluptate recreabuntur.

Oculi Beatorum hominum, ac coelestium civium intuitu

Aures continuis cantibus suavissime temperatis.

Gustus ineffabilem sentiet dulcedinem quae omnem superabit. suavitatem.

Ilem gaudebunt omnes animae facultates cumulatissime satiatae, èt sua vota et desideria omnino videbunt expleta cum quicquid appeti possit ab humano corde, id a se perfecte possideri totum sine ullo amittendi metu.

Accedent his etiam adventitia praemia, quae dicuntur aureolae a Deo concessae ob eximia quaedam et fortia facinora, qualia sunt martyrium, virginitas, actus docendi aut defendendi res fidei.

2^m^ Caput : etiam gaudium erit ex poenis consanguineorum etc qui sint damnati cum enim voluntas Beatorum perfecte cum divina

consentiat, et videat summa illos cum aequitate damnatos gaudent, non secus atque inter mortales gaudet amicus cum videt amici injuriam vindicari ac puniri.

4m Caput ; Quanta sit gaudiorum copia futura ex ipsomet fonte summi boni, ex visione, possessione ac fruitione summi boni et divinae naturae quae sunt tres dotes animae beatae tribus virtutibus Theologicis respondentes : visio enim respondet fidei, possessio spei, fruitio caritati.

Immergetur itaque ita et inebriabitur anima Oceano illo infinito bonorum omnium ut nec explicari voluptas, nec inde intelligi a mortalibus possit. Non enim oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt qnae Deus praeparavit diligentibus se.

Secunda hebdomada.

Cum utrumque illud Christiana homini necessarium sit, tum fugere mala, tum bona amplecti ; ut fuga malorum et expurgatio a peccatis praeire debuit in 1a hebdomada ; ita quia sola non est satis, opus fuit adjici ornamenta virtutum in 2a. Deinde B. N. P. proprium fuit in adjuvandis proximis spectare, utilitatem non praesentem solum ac brevem, sed etiam futuram ac permanentem, ac dare operam nihilo minori studio, ut conservarentur bene instituta, quam ut de novo aliqua instituerentur ; idque jure optimo tum quia sola virtutum perseverans constantia fert coronam ; tum etiam quia difficilius homines recta persequuntur, quam aggrediantur ; vix enim quispiam est in tanto sceleratorum numero quibus mundus oneratur, qui non aliquando lucem dispiciat et statuat honesta sectari. Sed stabilitas deest cum ad opus veniendum est, vel subito refugiunt subhorridam virtutis speciem, vel certe non diu propositum urgent ac tenent.

Unde apparet non tam homines indigere adminiculis ut se erigant quam ut stent et procedant; quod cum videret B. P. 2m hebdomadam divino prorsus impulsu et lumine instituit cujus finis est fructum in pa collectum stabilire, ita ut sit quantum fieri potest aeternus.

Ad stabilitatem autem hanc, optimam viam excogitavit electionem vitae prudenti consilio susceptae ; nam qnemadmodum qui nulli addictus est certae vitae rationi, vagus et mutabilis est, ita

qui se uni certo generi astrixit prudènter non tam facile aurae cujusque appulsu jactatur, sed praemeditari potest facileque ita temperare, ac dispensare omnia ut prudentiae ac virtutis christianae forma semper una eodemque tenore sectetur ; quam sane ob causam apparet summi esse momenti hanc 2am hebdomadam ; quippe cum ex ea summa totius vitae sit apta, et homines plurimum B. Patri debere, qui cum antea magnam partem incerti errarent, vel temere ad id adhærescerent, quod casus obtulerat, rationem hanc de vitae genere deliberandi usque adeo necessariam notavit, explicavitque primus et in unum deduxit. Qui ergo exercitationibus hebdomadae primae ita expurgatus est ut magno et nobili animo cupiat vitam emendare, majoresque in dies in virtutis studio habere progressus (nam si hoc desit, idoneus non est ad exercitationes 2ae hebdomadae) transit ad hasce exercitationes et consilia suscepta confirmat perficitque eligendo certum vitae modum, si liber est, sin minus veterem.

Ad hoc perdifficile negotium cum deliberandum sit de vinculo aliquo subeundo, quod saepe non nisi morte solvatur, insolitae vitiorum consuetudines, turbulenti motus, rumor popularis, facies virtutis subtristis, daemonum sollicitationes subjiciuntur ac terrent.

Hujusmodi difficultates cum praevideret B. P. idcirco non statim ipsam electionem proponit sed sensim ad eam ducit, suaviterque animos lenit, et quoniam ab iis incommodis duo imminent pericula.

1m est ne laboris metu nulla fiat electio

2m ne depravato perturbationibus consilio fiat perverse, contra utrumque periculum considerationes appositas subministrat, per quas tum ad quaevis subeunda incendamur, eoque timor laboris, tum quid cuique praeferri ac posthaberi debeat, agnoscatur, eoque errandi occasio tollatur. Omnia vero in Jesu Christi vita fundantur, cujus exempla scilicet ad nos permovendos vehementissima, simul ad docendum optima sunt, nec profecto aliud deest, quam ut christianae vitae forma vita sit Christi : Addit tamen exercitia ex similibus deprompta, valde accommodata ad illum utrumque finem, id est, tum inflammandi animi ad electionem, tum illustrandi ad bona inter se vere comparanda et distinguenda a simulatis. Nam 1a illa meditatio ex similitudine terreni Regis summam vim habet ad pertrabendum ad dura et aspera, docetque quod in considerandis actionibus Christi Domini spectandum sit, atque idcirco ante mysteria omnia

collocatur ; et enim postquam statuerimus Christum praeeuntem ad bellum sequi, ejusque pugnandi modum tenere etc. Jam in mysteriorum consideratione intuemur pugnantem ut aspiciamus et faciamus secundum exemplar.

Meditatio deinde de duobus vexillis mentem nobis aperit ut quaenam et quales sint Christi, et quales diaboli, motus advertere possimus, atque adeo fictis bonorum simulachris quae interdum objiciuntur, minime moveamur. Accedit illa de tribus classibus consideratio contra segnitiem pugnans eorum, qui semper parturiunt bona consilia, nunquam pariunt.

Et tandem cogitatio de tribus humilitatis gradibus, quae ante oculos ponit chritianae virtutis celsitudinem et magna molienti animo, magna ostendit. Utitur autem in his meditationibus, similitudinibus ac rebus, quae in usu versantur commnni, ac ferme sub sensus cadunt, quia cum rem satis explicent ac repraesentent, facilius animum persuadent ac movent.

Quare ut breviter omnia colligantur :

Finis secundae hebdomadae est stabilimentum ac progressus, in sanctitate ; id ut fiat, proponitur certum vitae gemus eligendum.

In hac electione quia periculum est, tum a rei difficultate, tum ab errore ac pravo judicio, ad lumen et stimulum Christi vita et praeterea considerationes adhibentur.

Quod pertinet ad electionem quia de ea separatim agitur, solum hic adverte esse variam atque multiplicem, studia nimirum honesta omnia, et status omnes amplecti non solum religiosorum, ac clericorum, sed etiam popularium.

Deinde non hic vocari in consultationem, sive ad perfectionem contendendum, an potius in praeceptorum observatione figendus pes. Certum est enim Christiano homini ad virtutem perfectam, quocumque in statu sit nitendum esse, sed quod hic sub deliberationem cadit est, num hic potius status deligendus quam ille.

Contemplatio prima.

De regno Christi.

Prima pars.

Exercitium hoc debet legi in libello. ex quo petenda sunt praeludia.

In primo praeludio cum cernitur Christus Dominus circumiens castella etc. Simul cogitare debemus quemadmodum, dum humanas actiones exercebat, eas praeclarissimarum virtutum insignibus nobilitabat, ac dum vitia ex animis hominum evellebat, inferebatque virtutes, et quoscumque poterat ad perfectionem instituebat ; tum suum fundabat regnum : tunc enim regnat Christus in hominibus. cum ii vitiorum tyrannide excussa ejus legi se subdunt.

In secundo petendum est a summo rege lumen ac robur quo cognoscamus regni ad quod nos vocat dignitatem et vocantem magno ac generoso animo sequi statuamus.

In 1° puncto cum Christus Dominus omnes quidem sed praecipue homines Societatis ad se vocat, ut sibi socii sint ad regnum suum in omnes gentes propagandum. Considerandum est quale nam sit hoc regnum, ut magnifica de eo opinione concepta, statuamus viribus totis eniti, primum ut in nobis, deinde (quoniam non solum ad nostram, sed etiam ad aliorum salutem et perfectionem vocati sumus) in populis et nationibus omnibus excitetur. Ad hanc igitur regni praestantiam intelligendam,

P^m considerandum est regnum illud in statu innocentiae, Dei in hominem, hominis in se atque alia, quam praestans atque perfectum esset. Etenim cum homo ad imaginem et similitudinem Dei procreatus primum voluntate plane libera praeditus esset quidquid liberet agendi, ac ne morti quidem subjectus, deinde etiam originalis justitiae dono esset ornatus, per quam fiebat ut omnes ejus actiones moderatae essent ac rectae, utque inferior pars rationi subderetur ; sine dubio rex erat sui, siquidem pulcherrimum in facultates suas animi et corporis, in membra ac sensus, gratia juvante imperium exercebat, et haec plane obsequebantur ad nutum imperantis. Ex hoc autem domestico sui regno externum alterum sequebatur, nam secundum ea verba dominamini piscibus

maris etc. in res omnes dominabatur. Rursus vero. quia homo parvus mundus est, et quodam modo omnia, et tum reipsa exercebat potestatem regiam in omnia, et Dei voluntati sese perfecte subdebat, inde etiam fiebat ut ipse etiam Deus in hominem ac per hominem in res omnes regnum haberet, cujus nunc regni pulchritudo est contemplanda reflexa ad vim virtutis, mente, ex qua tanti regni tanta majestas oriebatur.

2^{m} Caput est considerare quo, utrumque illud regnum, et hominis et Dei, per peccatum sublatum est. Ubi enim primus hominum parens lapsus est omnia secum in exitium traxit, ordinem illum et consensum et quasi consensum universi perturbavit omnino atque confudit.

Nam sensu ac ratione rebellante, ac ratione ipsa turpiter suis famulis serviente regnum domesticum amisit. nec retinuit externum, quia potius a rebus coepit habere pro auxilio perniciem, pro obsequio molestiam et bellum, ac simul quia sese, ac rebus etiam externis abusus erat ad Dei injuriam; Deo simul possessionem, ac dominatum sui, rerumque omnium subtraxit, sui cordis arce tyrannis pessimis, diabolo. mundo carni permissa; propter quod facinus merito non solum ad mortem ac caetera hujus vitae mala sed etiam ad aeterna supplicia damnatus.

3^{m} Caput est considerare hoc regnum in pristinum atque adeo meliorem statum a Christo Domino restitutum esse; quippe cum omnia videret miserandum illum in modum perturbata, et a tyrannis indignissime occupata, Dei filius natura humana sibi conjuncta, cœpit inter homines agere verus homo. Cum enim ab omni non solum macula sed etiam peccandi potestate, et quavis servitute longissime alienus, nihil haberet non summe moderatum, ac rectum, parte inferiore, affectionibus naturalibus sensibus ac membris rationis ductui obsequentissime parentibus, regnum in se suisque quodque ex eo sequitur rerum omnium admirabile constituit. Quo in regno et thesauri actionum honestarum, et pulcherrimus ordo imperantium, ac parentium ex officio facultatum, et fœlicitas summa ex Dei clara visione, qua inde usque ab eo quo conceptus est, momento, frui coepit et majestas, gloria, ditionis amplitudo. et potestas infinita. Is igitur omnium donorum cœlestium affluentia redundans homo idem ac Deus cum quicquid ageret, id aeterni Verbi dignitas nota divini-

tatis imprimeret, et pretii redderet infiniti, ut satis superque esset mundis vel innumerabilibus redimendis una quaelibet ejus minutissima actio, tribus ac triginta annis in praeclarissimis facinoribus ac in laboribus et cruciatibus maximis sine ulla intermissione traductis, meritorum cumulum conservavit tantum, quamtum comprehendere nulla parte humana cogitatio potest. Et quoniam nulla eorum meritorum parte ipse indigebat, ad nos universa transmisit, hisque deletum est peccatum, expugnatus diabolus, robur nobis contra carnis illecebras comparatum, denique regnnm ipsum pristinum multo clarius et opulentius restitutum.

4^{m} Caput est considerare regnum quidem Christi Domini meritis recuperatum esse, sed ut illud re ipsa in nobis singulis constituatur necessariam esse operam nostram, qua ejus gratia adjuti ejusque actiones imitantes in virtutibus adipiscendis. vitiis extirpandis, id est tyrannis expellendis serio laboremus. Id qui faciet ipse in Christo per ejus gratiam et Christus in eo regnabit; qui ingrate negligens erit, non solum se regno honestissimo sed et ipsum etiam Christum Dominum hac gloria quasi regni parte fraudabit.

Secunda pars regni.

Haec pars respondet 2° puncto libelli in quo homo militiae Christi se consecrat, idque ut ardentius et impensius agat consideranda sunt haec.

1° Quis sit hic Rex collatione facta cum aliis regibus terrenis. Et enim primum aeternus ; permagni autem interest imperatoris vitam, in qua victoria et spes militum nititur, in tuto esse.

2° Maximus et celeberrimus, nimirum toti mundo conspicuus.

3° Rex non voluntate eligentium sed natura.

4° Nos illi subditi sumus, et obstricti non solum quia nos regit, regiminis jure, sed etiam quia procreavit, redemit.

2° genus belli. 1^{m} est contra hostes non magis regis quam nostros, imo solum nobis noxios quare nostra res agitur.

2^{m} est justum ac pium contra iniquissimos invasores, et crudelissimos tyrannos, ut defendantur res sacrae, Dei sanctorumque cultus, sanctitas, ipsa divina gloria et quis autem non movetur si quando audit templa violari, sacra diripi, etc.

3° Rex ipse ad hoc bellum egreditur. in castris et in acie praesens, primus ad labores. acerbissima quaeque sibi assumens, nec solum exemplo et verbis incitat nos, sed quod alii duces nequeunt tum novum nobis ingenerat robur, tum arma donat inviolabilia.

Quam alacri anima cum hoste congrederetur qui optime nosset tali se armorum genere tectum esse. quae quemvis sustinere usum possent, ac prorsus nulla vi lædi, nisi ipsemet vellet, hujusmodi est gratiæ quilibet minimus gradus de qua S. Paulus. Induite vos, inquit, armaturam Dei ut possitis stare adversus insidias diaboli.

4° Genus victoriœ. 1^m^ est illustris quia hujus mundi ac tenebrarum Principes acerrimi ac potentissimi profligantur.

2° Est utilis et quidem ita ut gloria una contentus emolumenta omnia nostra velit esse.

3° Certa nisi per nos stet; quae cum ita sint, statuemus neminem fore sanae mentis, qui non se obsequio Christi addicat, et consecret, tum vero haec septem decernenda sunt.

1^m^ ut regnum Christi quisque in se stabiliat, ut ex se ac per se possit ad alios dilatari, decernet omni studio insectari et exterminare hostes, qui hoc regnum infestant, daemonem, mundum, carnem, vitia scelera. etc.

2° Regnum ipsum communire et defendere quovis praesidio, munimento aggere, extructa in corde arce, ac turri, in qua velut in specula ad sui custodiam excubet, dispositis ad propugnationem undique vigiliis et militibus ad pugnam paratis; quod nihil est aliud nisi in repellendis tentationibus et detegendis fraudibus inimici perpetuo exerceri.

3° Idipsum amplificare incremeuto virtutum torpore ejecto.

4° Regis modo pro tribunali, jus iucorrupte sibi dicere, et compescere temerariorum perturbationum, et affectionum vulgus.

5° Regum item bonorum more, qui conantur malas consuetudines tollere ex diversis populi cupiditatibus ortas, assiduo mortificationis studio recidere quidquid immodicum ex perturbationibus pullulat.

Quemadmodum reges Rempublicam latis legibus administrant, ita suas actiones divinis humanisque et praesertim nostri ordinis legibus aliisque quas sibi ipse imponet moderari, quoniam magni interest ad bonum publicum pacem esse inter se et cum principe, atque

idcirco reges eam conservare, ac fovere student ; ita quisque discernet curare ut ipse et cum Deo et cum fratribus, et maxime cum iis, quos Dei loco Patres ac duces veneratur pacem colat.

Tertia pars regni.

Respondet haec meditatio 3° puncto libelli iis verbis (Quod ii qui sese etc. non seipsos tantum ad laborum tolerantiam etc.) verum etiam majora et praeclariora quaedam munera oblaturi sunt expugnata carnis etc. Ut enim promptius nos ad haec illustriora munera offeramus, considerandum est regni decus, tum quod justus per illa sibi comparat, tum quod Christus in eo acquirit.

P^m^ igitur justus Rex est, cujus decora prae caeteris octo sunt.

1^m^ Est solium excelsissimum supra nubes elatum, sedet enim quietissimo et jucundo animo velut in regia sella infra se mortalia omnia dispiciens, sui corporis et animi facultates, sensus, membra sibi subdita videns, pedibus proculcans dæmonem, cupiditates, peccatum, mortem et quicquid vulgo terribile videtur.

2^m^ est corona splendoris in ejus capite jucundissime collucens, quia propter suas vitutes etiam ab improbis honoratur.

3^m^ est sceptrum quod manu tenet, id est regia potestas in suum corpus, et animam, et affectiones et membra, et res omnes externas dum nihil patitur sibi imperare sed cuncta ipse suo imperio gubernat.

4^m^ est regia familia ; cingitur enim praeclara famulantium corona, siquidem rebus tum prosperis tum adversis utitur tanquam administris non territus his non elatus illis.

5^m^ Est nobile satellitium, nam stipatur undique non solum Angelorum Sanctorumque praesidio, sed etiam eo quod sibi ipse paravit, scilicet remediis egregiis quae semper habet in promptu contra tentationes et peccata omnia.

6^m^ Est consilium sapientissimum, adsunt videlicet illi consiliarii ac senatores lectissimi, prudentia ipsa, discretio, judicium, maturitas, quibus ad bene eligendum utens negotia omnia feliciter transigit.

7^m^ sunt thesauri ingentes virtutum, gratiae donorum S. Spiritus.

8^m^ est affinitas cum summo mundi mundi principe, cui animam suam veluti reginam tradit in sponsam, cum quo perfecto caritatis vinculo conjunctus cœlestibus deliciis fruitur, et in hoc exilio dies

omnes quasi festos in jugi convivio et nuptialibus deliciis ac laetitiis ducit, paulo post ad cumulatiora gaudia in cœlum ducendus.

Nec solum his regiis ornamentis justus decoratur ipse, sed Christum etiam Dominum regem in sese constituit, ac regiis vestit insignibus.

1° In suo illum corde perturbationibus vacuo ac vitiis perpurgato, tanquam in regali trono collocat.

2° eidem coronam, et diadema pretiosissimum imponit, quod est zelus ipsius gloriae, nihil agens scilicet aliud, nisi ut tota uni illi omnibus in rebus gloria tribuatur.

3° Dat sceptrum absoluti in se imperii summopere optans illi perfecte subjectus esse.

4° Pulcherrimis virtutum vestibus ornat, praecipue purpura caritatis.

5° Adjicit ejus obsequio familiam numerosam et nobilem sui animi et corporis vires, et membra semper ad illius nutum intenta.

6° Ad ejus custodiam satellites, ac stipatores disponit easdem nimirum vel sentientes vel rationales facultates dum vigilant, ne Christus Dominus vel pellatur ex corde, vel offensus abscedat.

7° Magistratus, consiliaros judices eidem destinat dona Spiritus Sancti quibus res sui regni maximas expedit.

8° Magnificum convivium apparat et varias ac suavissimas epulas apponit sanctas affectiones, et cogitationes pias, simulque cum ipso Domino in conjunctione perfectae caritatis integerrimis deliciis fruitur. Itaque regnante Christo in anima ipsaque per Christum fit quod sacer vates cecinit. Astitit regina a dextris etc.

Colloquium subjicietur ex libello, expendendo singula verba, et actus qui ibi proponuntur exercendo verbi gratia. (en o rex supreme) hic anima exilit et veneratione sui regis impletur ; (licet indignus) abjicit se indignam existimans, quae ad tam praeclarum opus vocetur ; (fretus) concipit fiduciam ; (me tibi penitus offero) liberalitatem ostendit ; (attestans) serio se loqui significans ; (hunc esse animum meum) constantem animi inductionem, et stabile voluntatis decretum ; (dummodo in majorem) mentem piam et rectum finem ; (quam possim proxime) hic debemus nobis ante oculos ponere Christum Dominum eo ludicro regis habitu, quo apud Pilatum per ignominiam vestitus est, et introspicere divitias majestatis sub ea vili specie delitescentes :

tum Spiritus inducat rerum omnium abjectionem, tum animo tum re gratias agendo quod nos ad eam vocare dignatus sit.

De duobus vexillis. Med.

In hac meditatione id agitur ut qui jam statuit in proxima regni meditatione Christum sequi ducem, nunc ad castra et signa se conferat et instruat ad certamen, quod ut commodius efficiat necesse est una ex parte mores pravos, conatus et insidias hostis et torporem semper inducere conantis : ex altera sui ducis benignitatem. cohortationes, instinctus, praecepta quasi tesseram cognita habeat.

Praeludia ex libello petuntur.

In 1° puncto primae partis consideranda est misera conditio et perversum ingenium ducis impiorum, quam infame, dirum. ac detestabile monstrum sit.

In 2° inexplebilis ejus nocendi rabies, (tum aliis, tum praecipue viris ex Societate) et in 3° puncto suis committit ut variis astutiis nos tentent, quarum sunt aliae magis apertae, aliae occultiores. Magis apertae sunt hae.

1m studet amorem excitare erga res terrenas, commoditates praesertim quae offeruntur in religione victus, vestitus, loci, officii etc.

2° Timorem injicere malorum contrariorum, morbi, inopiae, laboris etc.

3° Novissimorum oblivionem afferre.

4° Rerum spiritualium taedium, et odium ingenerare, in angustias animam redigens, et maximas ei difficultates objectans.

5° Ut si quid boni fit, ex amore, vel timore hominum, vel temere, atque ex consuetudine fiat.

Occultiores autem sunt illae.

1m Tentat in levissimarum culparum adducere contemptum, ut per eas sensim ad graviores et ad conscientiae licentiam trahat.

2° Per importunas cogitationes et graves tentationes et molestias, et tenebras, et scrupulos vexare, ac defatigare hominem, ita ut ad desperationem, et vilem animi abjectionem compellat, et denique a rerum spiritualium tractatione abducat.

3° Per falsas rationes, fallaces gustus, et periculosa mentis lu-

mina in vanam sui existimationem, atque in fontem malorum omnium torporem adducere.

4° Judicium pervertere, ut pluris fiant leviora, quam quae sunt magni ponderis, utque exteriora interioribus praeferantur, vitae austeritas piae mentis submissioni,

5° Per boni speciem pertinaciam creare.

6° Impedimenta plurima offerre, dilationem et praetextus varios sanitatis, juvandi proximos et abalienationem a disciplina, et consuetudine eorum, a quibus quis posset dirigi, et eorum quorum exemplo sui officii admoneretur. In his autem tria potissimum spectat vaferrimum monstrum.

1m Ut mentem et rectum finem depravet.

2° Ne fiat bona electio aut non succedat executio.

3° Ut saltem constantiam et perseverantiam tollat. At B. P. omnes fraudes revocat, ad cupiditatem divitiarum et honoris, ad terrenum amorem delectabilium et ad aestimationem sui.

In primo puncto secundae partis consideranda est felicitas, amplitudo, suavitas, amabilitas Christi.

In 2° ardens cupiditas omnium salutis, ut alios nosque praecipue vocet per sacras litteras, apostolos, aliosque ministros ac postremo B. P. Ignatium miserit, qui nos nominatim doceret. Et sane quemadmodum ex exercitio regni nata Societas est, ita ex hoc distincta in gradus et officia varieque ministeria ad salutem proximi pertinentia.

In 3° ; viae, rationes quibus nos ad se allicit, nam ingenerat in animis nostris.

1° Amorem rerum spiritualium.

2° Timorem peccati et pœnarum.

3° Oblivionem atque odium mortalium bonorum.

4° Conscientiae puritatis tuendae, et procurandae studium.

5° Tranquillitatem, et laetitiam spiritualem.

6° Spem ac fiduciam in divino praesidio ad superanda impedimenta, difficultates et tentationes omnes.

7° Submissionem, facilitatem, docilitatem, qua ductum regentium sequamur,

8° Alacritatem ad nostram conscientiam penitus aperiendam moderatoribus.

His omnibus id agitur primum ut mente pura finem quem habemus propositum habeamus, Deinde perfecte eligamus, et operemur, demum ut constanter in bene coeptis persistamus : quae omnia revocat B. P. Ignatius ad studium perfectae paupertatis, ac sui contemptus.

Colloquia ex libello.

De tribus hominum classibus.

Qui jam constituit sequi ducem in regni meditatione ac profectus ad signa, tum hostis machinamenta et fraudes, tum sui imperatoris consilia cognovit in meditatione de vexillis, certus jam conserere manus, necesse est praeterea statuat locum suum tenere, ordinesque servare. In hoc enim disciplinae militaris magna ex parte summa consistit. Huc igitur spectat hoc exercitium quod nos nobis aptabimus in militiae similitudine persistentes. Nam militum etiam classes ita possunt distingui.

1° est pugnare volentium, sed qui statim ut veniunt ad manus terga vertunt.

2° Pugnantium quidem sed pro sua voluntate quando, quandiu, quomodo sibi visum fuerit.

3° Pugnantium strenue, et ducis jussa exequentium, qui etiam ut magis cum duce consentiant, ei sua consilia patefaciunt ; atque haec postrema classis optima est, et certa victoriae, ad quam amandam haec meditatio nos incitabit.

P^m praeludium sit historia quaedam propositio trium classium religiosorum hominum, qui cum hactenus alii cuipiam studio quam perfectioni operam dederint, nunc tandem salutem et perfectionem expetunt.

Praeludium 2^m et 3^m ex libello.

P^a classis est eorum qui quamuis cupiant amorem sui expugnare vitiis eversis et perturbationibus sub rationis imperium redactis, nunquam tamen arma expediunt, et confligunt sed cum gerenda res est territi labore et difficultate pugnae turpi fugae se dant.

2^a Classis est eorum qui arma quidem assumant, sed quae sibi

arrident, et pugnant etiam sed quomodo et quo tempore sibi magis placet, non quo praescribit ratio, aut quando dat signum imperator, atque hi licet conentur, licet multa dura sustineant, et magna sibi efficere videantur, nihil tamen proficiunt, non enim vera submovent impedimenta, quia negligunt suam infringere et ducis sequi voluntatem

3ª Classis sola perfecta et diligenda, est eorum qui strenue contra amorem sui, et vitia decertant, ordine, modo, loco, armis duce praefinitis. Hi sunt illi qui ad perfectionem comparandam, quantum noverunt et possunt efficiunt sed cum absoluta animi aequitate atque indifferentia.

1m se offerunt Deo ut de ipsis id agat quod sibi visum fuerit.

2º Cum eadem animi praeparatione, moderatorum ac Patrum spiritualium nutui formandos se fingendosque, permittunt.

3º Ut se magis comparent ad excipiendos coelestes afflatus iisdem moderatoribus et Patribus spiritualibus totam conscientiam suam patefaciunt, sed quoniam haec tria summam continent doctrinae spiritualis, et certissima sunt sunt ad perfectionem adjumenta, debent a nobis eligi, atque assumi ; idque ut studiosius fiat, singulorum utilitas separatim expendetur.

Ad meditationem de tribus classibus.
De indifferentia.

Indifferentia est virtus qua animus ita afficitur ut paratus sit res inter sese contrarias fugere, vel sequi, prout magis ad divinum obsequium noverit expedire, hoc pacto ut quam maxime divinae congruat voluntati ; ad hujus autem virtutis amorem haec poterunt excitare.

1º Per hanc virtutem homo totus et aptissime pendet a divina providentia, cum ab ea agi se omnino ac flecti sinat.

2º Paratior est ad excipiendos divinos impulsus ad coelestes afflatus ; tum quia ut diximus, apte cum sui auctoris providentia connexus, ex eo tanquam ex vitali principio vitam ducit, tum etiam quia sinum mollem, ac praeparatum affert ad flatus coelestes, et quasi ceram tractabilem et paginam puram in qua quaevis notae imprimi possint.

3° Stabilitatem et firmitatem acquirit in vocatione, ac studio virtutum, cum enim non rebus hisce commutabilibus suam voluntatem sed Deo, quantumvis mortalia haec et caduca fluant et convertantur, ipse stat semper idem, sicut idem est semper, neque mutatur unquam is cui adhaeret.

4° Aptissimum fit organum Spiritus sancti ad procurationem salutis, tum suae tum proximorum ; sicut enim qui certum quippiam propositum habet, cum se non facile alio flecti sinat, multas necesse est sibi vias obstruat, et opportunitates agendi cum proximo intercipiat, ita qui non quae sua sunt quaerit, sed quae Jesu Christi nullo astrictus vinculo privati studii ad omnia liber volat et revolat, ministeria, loca, tempora denique omnibus fit omnia, ut omnes lucri Christo faciat.

3° Pacem animi et perpetuam habet tranquillitatem, sicut e contrario qui non pari studio omnia suscipit ex Dei manu cum tot sint hujus vitae calamitates, tantae, tamque frequentes rerum vicissitudines tam incerti casus semper impendeant, similis est navi gubernaculo et ancoris carenti, in medio mari ventorum ludibrio et fluctuum insaniae, relictae, quam jactent huc illucque procaciter.

6° Exempla in primis Christi qui non venit suam facere voluntatem, sed Patris ; deinde sanctorum. Job dicebat : si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus ? Abraham ex cognatione sua, et domo patris sui egressus est, Dei vocatum secutus, nesciens quo duceretur.

S. Paulus et verbo et exemplo docet ut exhibeamus nos tanquam Dei ministros per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam a dextris et a sinistris. De S. Martino canit Ecclesia : O virum ineffabilem qui nec mori timuit, nec vivere recusavit.

Indifferentia autem in his debet esse.

1° In gradibus Societatis.

2° In ministeriorum tum genere tum modo ac tempore ea gerendi.

3° In locis ac regionibus.

4° In hominum genere cum quibus agendum sit.

5° In cultura interiori animae nostrae.

De institutione ac directione spirituali ad meditationem de tribus classibus.

Ut quisque institui se facile, ac regi a suis moderatoribus sinat, quae virtus est 2ª ex tribus in 3. classe requisitis haec meditabimur.

Pm Cum finis noster sit obsequium Dei, quod maxime consistit in nostrarum affectionum, cogitationum et actionum congruentia cum Dei voluntate, hanc viam esse certissimam, ut omnibus in rebus cum divina voluntate consentiamus, persuadere sibi quisque debet, id quod res est, Deum ut plurimum nolle se solo homines in spirituali vita gubermare, sed per alios homines, Itaque superiores loco Dei esse, hisque Deum suam voluntatem significare, ut ejus ipsi apud subditos interpretes sint, ac proinde eum qui Dei gloriam in rebus omnibus quam maximam quaerit quae consistit in executione divinae voluntatis, necesse habere Dei mentem ex interpretibus, idest, ex sui moderatoribus cognoscere.

2º Neminem ita sapientia et prudentia communitum esse, ut sibi ipse satis sit in vita spirituali, tum quia fere homines amore sui ducuntur, qui cœcus est dux : tum quia lumen intelligentiae ac judicii nostri admodum exiguum est, nec satis ut ea cuncta quae sunt videnda praevideamus : tum denique quia inmunerabilibus periculis erroribus, et insidiis proposita est vita spiritualis, quae Deus non nobis sed iis a quibus duci ac regi nos vult indicat.

3º Nullam artem neglectam ac vilem sine magistro addisci, multo igitur minus carere posse hanc suo praeceptore, in qua quanto est nobilior tanto major difficultas inest, tantoque gravius ac perniciosius peccatur.

4º In tota hac rerum omnium universitate ordinem esse, aliaque superiora quae regant alia inferiora quae regantur : divina enim providentia inter se omnia quodam colligavit nexu ut suavior et pulchrior esset administratio. In rebus itaque naturalibus, in angelis ipsis est ordo et nexus quidam, in ecclesiastica hierarchia, in quavis bene instituta republica sunt sui gradus, aliique qui praesunt, alii qui subsunt, quo ordine perturbato ea quae subjacent, pessime habent, et saepe intereunt; quae cum ita sint in rebus etiam spiritualibus necesse est aliquos esse, qui quasi Deo propiores, ab eo sibi lumen infusum, ad subditos transfundunt, quibus oportet apte subjici, et in

rebus omnibus obsequi eos, qui foveri, se duci alique exoptant, unde intelligitur verum esse, quod sacrae litterae attestantur Deo resistere qui potestati resistit.

3° Hac regia certaque via Sanctos omnes iter habuisse, perque illam ad virtutum maximarum ascendisse fastigium scimus. Moses cum Deo facie ad faciem, ut est in sacra historia, loquebatur et tamen soceri consilium secutus est. S. Paulus evangelium non didicit ab hominibus et ad Ananiam tanquam ad praeceptorem est missus; quid igitur nobis agendum est ?

De indicatione sui ad medit. de tribus classibus.

Cum summi momenti sit Patrum Spiritualium consilio regi, atque institui ut ex proxima meditatione potuit intelligi, necesse magni item momenti esse nostram illis conscientiam penitus apertam et cognitam esse, ut convenienter et apposite ad statum et indigentiam nostram sua ipsi consilia et praecepta moderentur, atque hoc praecipuum caput est, quod et ponderari et movere nos debet ad hanc virtutem, studium scilicet divinam voluntatem per superiorum ductum in rebus omnibus recta et sine errore ac periculo sequendi, sunt tamen praeterea multa et maxima commoda quae expedit considerare.

P^m^ hac arte superatur diabolus et omnes ejus conatus eludentur ; est enim proditori similis, qui ubi sua pessima consilia venisse in lucem videt, timet et aufugit, quamdiu latent successum sperans.

2° Cum homo natura sua societatem amet cupiatque habere aliquem, cum quo sua consilia communicet, idque jucunde faciat si amicum fidelem sit nactus : multos nos libentius jucundiusque cum Patribus spiritualibus et prudentissimis et nostri amantissimis communicare statum animae nostrae debemus, sive ut lumen, sive ut consolationem, sive ut opem pro varia temporum ratione recipiamus, quo facilius in cœpto pietatis cursu perseveremus atque progrediamur.

3° Hac via praeparatur animus noster ad plurima dona cœlestia, cum enim submissio illa qua Patrem Spiritualem consulimus sit Deo gratissima, is eam remuneratur praestanti mercede, eximia quippe lucis divinae copia moderatoribus nostris ob eam rem

infusa, per eos, tanquam per suos vicarios et interpretes, singulari cura nos regit ac docet.

4° habemus quaedam communicationis exempla in Christo ipso Domino qui discipulis omnia quae audivit a Patre nota fecit, tanquam amicis, ac tribus ex eis in horto tristitiam ac mœrorem animi sui significavit. Ex alia vero parte Petrum interrogavit, amas me, volens quod ipse optime noverat ipsummet Petrum dicere. At S. Paulus licet evangelium divinitus accepisset, tamen ascendit Hierosolymam, ut Apostolos de eo consuleret. Sancti veteres monachi omnes, ut Cassianus affirmat, plurimi hanc rem fecerunt. Quare nobis ad eamdem contendentibus metam eadem est eundum via, et unusquisque sibi persuadeat obicem maximum ad sui culturam sibi illum opponere qui negligit hoc praeceptum. Nam revera animum suum qui suo moderatori non aperit, Deo claudit.

5° Quae revocant ab hac conscientiae explicatione tria sunt potissimum capita, si bene considerentur, pessima.

Unum est existimatio sui ac superbia, qua quis sibi suaeque prudentiae aut doctrinae innitens, indignatur alterius exquirere, vel sequi sententiam.

Alterum est verecundia et pudor malus, puerile vitium et viro plane indignum.

Tertium est metus alicujus mali, ne scilicet hoc quis privetur commodo, iliud non assequatur si hanc animi sui perturbationem aut propensionem evulget. Contra hoc igitur strenue depugnandum est, et considerandum in his positam esse amoris nostri extinctionem et quae omnium pulcherrima est victoriam de nobis ipsis, praeter cœtera bona quae consequuntur et pericula quae vitantur.

6° Cum Patres Spirituales sint loco Dei, qui intima cordis penetrat, decet hos etiam ejus penetralia inspicere posse, ob eamque rem nos magna cum puritate, simplicitate, et integritate quaecumque abdita sunt proferre et oculis ipsorum exponere debemus, magna cum spe fore ut ab iis sicubi forte deflectamus in rectam viam revocemur.

1° Exponenda sunt omnia, 1m bona et mala, illa ut tuta sint et augeantur, haec ut removeantur. 2° radices bonorum, ut virtutes, inspirationes, lumina coelitus immissa.

3° Ipsi bonorum fructus, ut orationes, poenæ voluntariae, devotionum genera et eodemque modo malorum radices, et fructus : illae sunt appetitus indomiti, pravi habitus, propensiones vitiosae, tentationes ; illi vero sunt peccata quae satis est eatenus dicere, quatenus satis est ad fragilitatem nostram et necessitatem explicandam.

De tribus gradibus humilitatis.

Primus gradus.

De observatione cujusvis legis ad evitandum peccatum mortiferum. Medit.

Hi gradus quamvis cuilibet virtuti conveniant, dicuntur tamen humilitatis, potissimum quia per eos homo tum perfecte se Deo subjicit, tum diligit sui contemptum, ignominiam, paupertatem, labores et etiam si non major sed tantum par inde secutura sit laus Dei, quod est munus Christianae humilitatis. Quoniam vero in spirituali pugna multae se objiciunt difficultates, quippe cum agatur de regno maximo et potentissimo veteris hominis delendo, et periculum est ne dum rei difficultate terremur, in peccatum aliquod corruamus, et militem eo animo decet esse, ut negotium et labores, quieti et otio praeferat ; idcirco postquam animus praeparatus est, tribus praesidiis, quæ proxime diximus esse :

Indifferentiae,

Directionis

Manifestationis,

Tribus adhuc constabilitur decretis quorum

1m est nunquam lethaliter peccandi.

2m Ne venialiter quidem.

3m Etiam labores læto animo, et ignominiam subeundi : quibus gradibus ad perfectam Christi Domini imitationem ascenditur.

In 1° igitur gradu ut animus noster obfirmetur ad observationem cujusvis legis, decreti, jussi, cujus violatio lethalis sit consideranda sunt haec

1° Deum cum sit Dominus universi habere summam auctoritatem quicquid libeat imperandi, cumque justa lex quaelibet, sive

humana sive divina sit, ab ejus providentissimo consilio pendeat, secundum ea verba, Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt, aequun esse nos eas accipere toto animo et omni conatu servare.

2º Legem quamlibet maxime rationi consentaneam esse cum prohibeat vitiosas, et honestas praecipiat actiones, nosque ita componat ut cum proximo cum Deo ac nobiscum servemus officium.

3º Legis praesertim divinae obtemperationem magni faciendam esse propter plurimas quas parit utilitates.

Imᵐ enim modum et regulam ejusmodi nostris factis dictis. cogitatis imponit, ut omnia dirigantur et referantur ad finem supremum, qui est Deus, quare nobis semper deberet in ore esse versiculus ille : Gressus meos dirige secundum eloquium tuum.

II Docet nos scientiam agendarum, fugiendarumque rerum, ideoque dicitur praeceptum Domini lucidum illuminans oculos ; super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est, sine qua scientia qui laborant, nec a periculo absunt nec a metu erroris.

III Facit nos amicos et consanguineos Christi Domini : vos amici mei estis si feceritis quae ego praecipio vobis, et quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, et mater est.

IV Commune bonum et pacem publicam tuetur, ac magnam privatim singulis animi tranquillitatem affert, voluntate nostra videlicet in consensu cum sui Domini voluntate, tanquam in suo fine conquiescente.

V Vitam aeternam meretur, si vis ad vitam ingredi serva mandata, et contra violatoribus legis maximae tum hujus tum futurae vitae intentantur calamitates ac pœnae.

4º Non solum maxime utilem legis custodiam esse sed etiam suavem et jucundam, jugo scilicet a facie olei computrescente ; adest namque gratia divina nos roborans et allevans onus, quare Dominus clamat jugum meum suave et onus meum leve.

De observatione legum nostri instituti.

P^m^ Caput est considerare nostras regulas esse magni faciendas propter earum auctoritatem nam conditae sunt a fundatore nostri instituti

1° Sanctissimo et prudentissimo.

2° Matura cum consultatione, longo secessu, multis lacrymis ac precibus.

3° Post diuturnum experimentum

4° Comprobatae ac laudatae sunt auctoritate sanctae sedis Apostolicae.

5° A congregationibus etiam nostris generalibus summa cum veneratione susceptae, ad quas plurimi ac sanctissimi viri conveniunt.

2^m^ est considerare in eis contineri flores evangelicae perfectionis, ac doctrinae spiritualis, quae vel in aliis institutis vel in Sanctorum Patrum scriptis vel in piis libellis sparsa sunt.

3^m^ Nos debere secundum illas vivere, ut congruenter nostrae vocationi vivamus, in his enim explicatius distinctiusque proponitur quid Deus a nobis velit, tum vero sperare debemus Deum nobis maxime affuturum cum eam sectabimur viam, qua nos deducere ipse decrevit, et contra minime affaturum credere, si alio pergamus. .

4° Nihil contineri in his durum aut asperum, genus enim exterioris vitae commune est : nec ad illis parendum ullius pœnae, vel culpae metu, anxie compellimur, ut loco timoris offensae, succedat amor et desiderium omnis perfectionis et ut major gloria et laus Christi Creatoris ac Domini consequatur, ut dicitur in constitutionibus.

5^m^ est considerare ea quae pertinent ad usum et praxim, ad quam necesse est 1° eas habere, legere, intelligere, facere sibi familiares, praesertim meditationes quotidianas semper ad illas referendo.

2° ut sequatur executio attenta. exacta, constans, puro ex amore.

3° Ut in consuetis conscientiae examinibus de his nominatim inquiramus, et in lapsu alacriter monita, pœnasque (quaecumque

imponantur) suscipiamus, imo, interdum nos ipsi ultro postulemus injungi, sicut ipsae jubent, ad significandum studium iis integre obsequendi. Subjicietur colloquium ad B. P. Ign.

In secundum gradum humilitatis. De peccato veniali. Medi.

Renovato in primis indifferentiae decreto, quo nos totos, ac penitus divinae voluntati tractandos regendosque commisimus, concipiendum est ingens odium adversus peccatum veniale, ut nihil sit unquam tale, aut tantum quod nos ad illud attrahat, quamobrem consideranda sunt haec.

P^m^ peccato veniali divinam lædi majestatem et hanc injuriam adeo gravem esse, ut rerum omnium creatarum, saluti etiam spirituali ac aeternae anteponenda sit. Non enim licet peccare venialiter, quamvis ex peccato aeterna salus omnium secutura esset.

2^o^ Maculam hujus culpae esse fœdissimam quae si minus divinae gratiae pulchritudinem corrumpat, tamen ejus splendorem obscuret, et fit anima labe veniali infecta similis pretiosae vesti, sed maculosae et vasi aureo luto contaminato, quo in sordido et indecoro habitu, nemo deberet audere se in Dei oculis sistere.

3^o^ Multa et gravia damna ex his peccatis oriri.

1^m^ Tepefaciunt fervorem caritatis dum progressnm spiritualem insigniter retardant.

2^o^ Propter remissionem disciplinae interioris ad lethalia crimina viam parant.

3^o^ Vires voluntatis infirmant, ut tentationes multo ægrius possint repelli et iter ad perfectionem difficile reddant.

4^o^ Sunt causa ut amittamus multas bonas actiones quibus et meritum et gratia nobis augeretur.

5^o^ Auferunt veram animi pacem, et laetitiam spiritualem, ex quo jugum divinae legis, et consiliorum intolerabile videtur.

6^o^ Reddunt nos animo servili, dum assuescimus nihil velle, et agere nisi fuste adacti, atque adeo capitalis poenae metu tanquam ignavissima mancipia.

7^o^ Privant nos luminibus S. Spiritus afflatibus et motibus Sanc-

torum ac praesertim Angeli custodis sine quibus gratia vix in nobis quidquam agit.

8° Deum magna gloria defraudant, dum scilicet minime respondemus auxiliis, per quae nos vellet ad altum aliquem virtutis gradum extollere.

9° Sunt causa praecipua et caput cur proximi offendantur, et nostro exemplo in virtutis studio intepescant.

10° Gravissimis poenis tum hac in vita, tum in purgatorio mulctantur.

In 3m gradum humilitatis.
De laborum voluntaria susceptione.
Med.

In 3° gradu ita afficimur, ut labores et incommoda vitae hujus præferamus quieti et commodis. His autem capitibus ad hoc possumus incitari.

1m Quia Christus Dominus plurimos et maximos tum corporis tum animi labores dolores etc sustinuit causa nostra : nos ergo decet eadem libenter complecti, tum ut ejus insignibus induamur, tum ut amori erga nos aliqua ex parte respondeamus.

2° Quia quae nobis gravia a Deo accedunt sunt ejus erga nos benevolentiae argumenta, quia per ea nos, et purgat a vitiis, et abstrahit a terrenis, et exercet in virtutibus et materiam struit qua ingentem meritorum numerum congregemus.

3° Quia nostris sceleribus aeterna supplicia saepe commeriti, quidquid patiamur, quod finem sit habiturum, pro nihilo ducere debemus.

4° Quia aeternae felicitatis et gloriae præmium adeo magnum est, ut debeat nos pudere tantum bonum expectantes non maxima aggredi, sed potius exigui mali speciem pertimescere ; non enim condignae sunt passiones etc.

5° Quia omnino necesse est pati velimus, nolimus, nullius enim in manu est molestiis hujus vitae carere ; tolerandae sunt igitur Dei causa libenter ne faciat ipsa impatientia graviores.

6° Quia non solum Christus praeit, sed sancti omnes per

angustam rerum arduarum portam intrare in cœlum contenderunt.

7° Quia mortales durissima sustinent ut suas expleant cupiditates, multo igitur nos lætius de manu Domini calicem quem ipsemet porrigit accipere debemus ac dicere. Calicem salutaris etc.

Tertia et 4ª Hebdomada.

Finis est harum hebdomadarum perficere hominem ac per sinceram caritatem cum suo creatore conjungere, quare spectant ad vitam quae uniens et conjungens appellatur, et incipit a contemplatione coenae Domini, ex cujus vita reliquae etiam meditationes omnes petitae sunt, solum addita meditatione ad amorem spiritualem in nobis excitandum. Nunquam tamen ipsum nomen viae ac vitae unientis usurpat B. P. ne putaretur loqui de mystica illa Theologia, quae extatico utitur modo ac plurimis exposita est ludibriis daemonum. Non enim ipse perfectionem hanc conjunctionemque cum Deo statuit in solitudine ac fuga ab hominum conspectu, neque in exstasi mentis, ac quodam diviniore lumine, atque admirandis rerum cœlestium cogitationibus. Neque tertio in sancto tantum quodam otio, ac sterili gaudio voluntatis, sed ut colligitur ex iis quae ponit ante meditationem sive contemplationem divini amoris in eo constituit ut penitus sua voluntate deserta, atque posthabita, ad divinam sese conformet, atque ad actiones quascumque progrediens Deum sibi praesentem collaborantemque intuens omnia cum eo sua communicet ab eoque omnia sibi communicari sentiat, quo fiat ut non cogitationum solum pulchris imaginibus, sed rebus ipsis amorem suum praebeat, atque cum Deo conjungatur, nec in uno tantum loco, aut opere, talis unio consistat, sed ubique retineri possit, atque adeo vel in vita vel maxime negotiosa.

De emendatione vitae.

Tota exercitiorum ratio eo spectat, ut tandem fiat in melius aut electio, aut correctio vitae et morum, Hic enim fructus ingens et stabilis. Nobis vero quia nulla vitae nova electio facienda est, cum divinae gratiae beneficio genus vitae perfectum amplexi jam simus ; modo illud superest, ut respiciamus quonammodo in vitae genere quod suscepimus, nos geramus ; et ea quae aliquo pacto emendatione indigent castigemus, et emendemus.

Meditationes igitur, quae hactenus præcessere eo tendebant, ut animus noster ad hanc emendationem strenue suscipiendam, per proposita quaedam generalia paulatim adduceretur : sed quoniam in communi virtus omnibus etiam vitiosis placet ; vera autem virtus in singularibus definitisque actionibus hic et nunc, in hac vel illa speciali materia posita est ; ideo scopus exercitiorum est ita nos paulatim per illa universalia decreta præparare ac præmunire, ut tandem ad electionem rei singularis adducant. Quare post confirmatum animum serio Christi crucem amplexandi, contendendi omni studio ad perfectionem, et quaecumque ab ea vel retardant, vel removent impedimenta, tollendi ; denique vitam sedulo emendandi, necesse est nos ulterius progredi ad emendationem singularum vitae partium, et uniuscujusque actionis. Porro hujus emendationis ratio et quasi forma sita est in quibusdam legibus ac præceptis, quae quisque sibi per se præscribit ; ut per ea veluti per normam ac regulam cunctas vitae suae actiones, seque totum componat ac fingat ad Dei voluntatem, quas leges et praecepta ex hisce capitibus oriri oportet.

P° Ex lege charitatis quam Spiritus Sanctus imprimere in cordibus solet.

2° Ex fine nostri instituti.

3° Ex constitutionibus ac regulis tum omnibus, tum iis quas in singulo suo quisque munere, seu ministerio proprias habet.

4° Ex propria cujusque prudentia, divinae gratiae lumine illustrata.

5° Ex consiliis, ductu et moderatione superiorum ac Patrum spiritualium. Ad hæc capita oculos quisque intendendo facile deprehendet, quidquid agere debeat, ubinam detrahere, ubi addere, ubi mutare quidquam sit opus : at rursus ad haec veluti ad lydium lapidem singula quae ad emendationem decreverit examinando, et tutus erit ab errore, et magna conscientiae pace perfruetur.

Modus autem singula expendendi, est idem atque ille qui traditur ad bene eligendum ; servando quod ibi admonuimus, ut de re quaeratur suscipienda sit, nec ne, nisi de ea constet : si autem de re constet quod plane præcepta sit quaeratur de modo agendi : Ubi præscriptus est aliquis modus, de mediocritate suisque conditionibus quae incerta sunt, deliberatio fiat. Quod autem constituitur notan-

dum est, et cum eo qui tradit exercitia communicandum ut omnia sint certiora.

Jam vero emendationis quasi materia ad quatuor capita revocari, et ex ea quadruplex emendatio distingui potest ; ut nihil sit quod censuram nostram effugiat ; nihil quod a nobis non ex electione certoque consilio, quales naturae rationalis debent esse actiones, suscipiatur et fiat.

1ª emendatio adhibenda est in radicibus peccatorum quae sunt sex.

1º Propensiones malae.

2º Appetitus immoderati, quae duo quia evellere non licet, temperare oportet.

3º Habitus vitiosi qui sunt penitus extirpandi.

4º Tentationes investigando vias quibus superentur et expugnentur.

5º Occasiones extrinsecae sive ex conversatione sive ex loco, sive ex negotiis ac muneribus, quas si quidem poterunt plane recidere necesse est, sin minus licet recidere, saltem contra eas excogitatis remediis necesse erit praemuniri.

6º Axiomata quaedam politica, quae non admodum cum religiosa simplicitate concordant, ideoque penitus exterminanda sunt. In his autem radicibus primum excogitandae sunt rationes, quae nos moneant ad illas tollendas, tum communes tum propriae. Deinde etiam investigare oportet remedia item communia et propria quibus auferantur.

2ª Emendatio adhibenda est in tractatione atque usu rerum spiritualium et sacrarum ; cujusmodi sunt pº meditatio. 2º Oratio vocalis 3º examina conscientiae, quotidianum et particulare 4º susceptio sacramentorum Eucharistiae et confessionis. 5º Missae auditio, vel celebratio. 6º verbi divini auditio tum in concionibus publicis in nostro vel alienis templis, tum in domesticis exhortationibus 7º sermones et collocutiones de rebus piis praesertim tempore recreationis. 8º Votorum instauratio. 9º Lectio piorum librorum 10º exercitia spiritualia. In his omnibus et si quae sunt alia considerandum et statuendum est, quomodo unumquodque illorum separatim quando quoties fieri debeat, ut nec omittamus, nec nisi pie tractemus.

3ª Emendatio est adhibenda in ministeriis, variisque functionibus, quae ad proximos exercentur qualia sunt praeesse, concionari, excipere confessiones, obire missiones, docere Christianam doctrinam, docere in scholis, quo etiam pertinent domestica ministeria et officia, Praefectorum sacrarii, valetudinarii, Procuratorum, consiliarii. Item quotidianae humilitatis exercitationes, everrere domum ministrare ad mensam, vel in culina ; nam quamvis minuta sint, permagni tamen interest Christiano ac religioso animo spirituque gerere. Optime ad hoc caput revocari potest, linguae, sensuum, et eorum omnium moderatio quae ad exteriorem modestiam pertinent.

4ª Emendatio est adhibenda in rebus quae pertinent ad corporis tractationem, et duas habet partes : prima est, ut in rebus, quae corpori et sensibus jucundae sunt ; quales sunt victus, vestitus, domicilium, lecti ratio, somnus, recreationes domi et ad vineam, ludi vacatio a rebus gerendis, seu intermissio ad vires instaurandas, aliaque hujus generis ; in his inquam rebus omnibus, ut emendentur, tum exuperantia et quidquid est nimium auferendum ; tum vestis quaedam et forma virtutis religiosae apponenda est. Altera vero pars non in hoc solum consistit, sed praeterea inquirit ut voluntaria aliqua poena corporis exerceatur ad eos fines quos B P. in 10ª additione proponit ; statutum est igitur, quaenam ex usitatis in societate ejusmodi afflictationibus assumendae sint, et quatenus ; Usitatae sunt jejunia, abstinentiae, cilicia, verberationes et mortificationes, quae ad commune exemplum in refectorio fiunt.

Explicatio Contemplationis ad amorem spiritualem in nobis excitandum ex libro exercitiorum B. N. P. Ign.

Pm advertendum est hebdomadarum superiorum et omnium quae hactenus praecesserunt, finem esse ac scopum, conjunctionem unionemque cum Deo per charitatem perfectam.

2º Conjunctionem quam B. Ignatius in hominibus Societatis requirit actuosam esse, extendique ad opera quotidiana virtutum, cum jam quis satis in animi purgatione, et illuminatione profecerit. Verum quia non est conjunctio sine societate, consuetudine, atque consortio, nostra haec unio erit, in conjunctione amoris animae

operantis cum Deo praesente ac simul agente. Etenim in actione nostra vere Deus, et praesens est et agens est, et rursus quia amor magis in operibus quam in verbis et conceptibus consistit, atque in mutua communicatione facultatum rerum, et operum, tantum abest, ut actio unionem perfectissimam cum Deo impediat ut etiam magnopere adornet, quippe cum unionem ac societatem faciat in opere et actione.

3° Vim hujus conjunctionis non in cogitatione ac speculatione positam esse, sed in voluntate et charitatis ardore, per quam homo in omnibus suis actionibus seipsum obliviscens ac deserens in Deum præsentem fertur in eumque convertitur quodam modo per summam suæ voluntatis cum divina conjunctionem et consensionem et fruitionem divinae praesentiæ vel actu ut dicitur, vel habitu, vel virtute.

4° Primum gradum unionis qui continetur in 1° capite proposito a beato N. B. P. Ignatio consistere in eo, ut considerantes varia et innumerabilia dona quae nobiscum Deus summo cum amore communicavit, tum secundum naturam tum supra naturam, vel communia, vel propria, nos ipsi vicissim nostra omnia, et quaecumque a nobis aliquomodo pendent offeramus, et dedicemus, (ut ostendunt verba colloquii, quae erunt expendenda) atque, ita in hac mutuo donorum oblatione et communicatione conjungamur.

5° 2m gradum unionis cum Deo qui continetur in 2° capite B. P. Ignatii situm in eo esse, ut nos agnoscentes in rebus omnibus Dei praesentiam ac Deum semetipsum omnibus suis donis quodam modo addentem, et eo cumulo aucta nobis donantem, tanto arctius illi conjungamur, quanto est major amor, quo seipsum nobiscum quam quo reliqua communicat.

6° 3m gradum qui 3° capite proponitur in eo esse, ut cum intuemur Deum non modo suam praesentiam ac seipsum nobis accommodantem, sed etiam nostra causa perpetuo quodammodo occupatum et laborantem nobisque in omnibus nostris actionibus et motibus assiduo opem ferentem, intentissimum ad nostras necessitates veluti nutritium et famulum : nos ex altera parte tanto majore cum ardore, quanto par est, opera laboresque nostros quales quales constantissime ad mortem usque cum ipso communicemus.

7° Quartum gradum in capite 4° propositum consistere in eo ut in rebus creatis omnibus et earum actionibus Deum veluti in speculo

et adumbrata imagine contemplantes, cum illae sint veluti quidam rivi ac radii e divinitatis fonte manantes nos per eos rivos et radios tanquam per gradus quosdam ascendamus ad ipsum fontem et caput eique intime adhaerentes ejus conspectu quantum patitur hujus vitae conditio facie ad faciem perfruamur.

Distributio eorum quoe in peragendis exercitiis tractanda sunt.

Haec distributio tria complectitur ac distinguit.

1° Meditationum seriem, dies et horas meditandi. deinde lectionem tum libelli exercitiorum tum regularum nostrae Societatis ac proprii officii : In libello non solum perlegendae erunt meditationes, una cum colloquiis, quas in proposita declaravimus, sed praeterea eas adnotationes et cœtera prout singulis diebus hic assignabimus. Regularum porro Societatis, ac proprii officii lectio inchoanda erit tertia die, prosequenda deinceps paulatim usque ad 8^{m}

Postremo haec distributio complectitur emendationem vitae, cui quintus dies erit initium.

Die igitur exteriorem recessum praecedente.

p° loco perlegatur compendium praxis orationis mentalis.

2° loco fiat 1^{a} meditatio, quae est praeparatio ad exercitia.

Primo die recessus.

fiat 1^{a} hora mane.	2^{ae} meditationis prior pars quae est 1^{a} consideratio fundamenti de fine hominis.
2^{a} hora fiat.	Ejusdem 2^{ae} meditationis posterior pars.
1^{a} hora a prandio.	3^{a} meditatio de naturalibus adjumentis.
2^{a} hora.	4^{a} meditatio de mediis supernaturalibus.

Lectio.

Praeter meditationes, et colloquia suis quaeque diebus congruentia, de quo iterum monuisse sit satis legantur in eodem libello exercitiorum adnotationes 20.

2° die.

P[a] hora mane.	5[a] meditatio de peccatis in sæculo commissis.
2[a] hora.	6[a] meditatio de eisdem.
1[a] hora a prandio.	7[a] meditatio, de natura peccati mortalis.
2[a] hora.	Repetitio ejusdem 7[ae] si in 1[a] hora fuerit absoluta, sin minus absolvatur in 2[a] cum non longiuscula sit, in duas partes de industria dividi poterit, si libeat.

Lectio.

Decem additiones.

3° die.

1[a] hora mane.	8[a] meditatio de peccatis in religione commissis.
2[a] hora.	Ejusdem 8[ae] repetitio.
1[a] hora a prandio.	IX[a] meditatio de fructibus poenitentiae.
2[a] hora.	Ejusdem nonae repetitio.

Lectio.

Regulae ad motus animae quos diversi etc., discernendos, quae ad 1[am] hebdomadam pertinent. Item regulae Societatis incipiendo a summario constitutionum, deinde a communibus, tum ab illis modestiæ, demum ab iis quae sunt proprii officii, idque paulatim singulis diebus, hinc usque ad ultimum diem.

4° die.

1[a] hora mane.	X[a] meditatio de praestantia divinae gratiae.
2[a] hora.	Ejusdem decimae repetitio.
1[a] hora a prandio.	XI. meditatio de studio augendi et excolendi divinam gratiam etc.
2[a] hora.	Ejusdem XI[ae] repetitio vel certe absolvatur si fuerit prius in duas partes distributa ut supra 2° die significavimus.

Lectio.

Regulae de electione et de distributione eleemos.

V. Die.

1ª hora mane.	XIIª meditatio prima pars regni.
2ª hora.	XIIIª meditatio 2ª pars regni.
1ª hora a prandio.	XIVª meditatio 3ª pars regni quae meditatio dividatur in duas et consideretur.
2ª hora.	Altera pars meditationis.

Lectio.

Regulae ad pleniorem spirituum cognitionem quae 2ae hebdomadae conveniunt.

Emendatio vitae.

Pm caput emendationis est inchoandum hoc die a radicibus peccatorum, juxta formulam quam tradidimus, dum de emendatione vitæ locuti sumus.

VI. Die.

1ª hora mane	XVª meditatio de duobus vexillis quæ dividatur in duas partes et in prima de Lucifero.
et 2º hora	De Christo duce.
1ª hora a prandio	XVIª Meditatio de tribus classibus.
2º hora	XVIIª Medº quae est 2ª pars de tribus classibus agitque de indifferentia.

Lectio.

De scrupulis quaedam notatu digna

Emendatio.

2m caput emendationis. In usu et tractatione rerum spiritualium.

VII. Die.

1ª hora mane	XVIIIª meditatio de directione Spirituali, quae est tertia pars de trib. classib.
2ª hora	XIXª meditatio de indicatione sui quae est 4ª pars de trib. classib.

1ª hora a prandio	XXª meditatio de tribus gradibus humilitatis 1ª pars haec est de observatione legum pro 1º gradu.
2ª hora	XXIª meditatio de observatione legum nostri instituti medº pro 1º gradu quae est 2ª pars de tribus gradibus humilitatis.

Lectio.

Regulae ad victum temperandum.

Emendatio.

3ᵐ caput emendationis, in ministeriis ac variis functionibus erga proximum exercendis.

VIII Die.

1ª hora mane.	XXII Meditatio de peccato veniali pro 1º gradu humilitatis quae est 3ª pars de tribus classibus gradibus.
2ª hora.	XXIII Medº de laborum voluntaria susceptione pro 3. gradu quae est 4ª et ultima pars de tribus gradibus.
1ª hora a prandio.	XXIV Medº Explicatio contemplationis ad excitandum amorem divinum.
2ª hora.	Repetitio ejusdem.

Lectio.

Regulae ut cum orthodoxa Ecclesia sentiamus; modi tres orandi.

Emendatio.

Quartum et ultimum caput emendationis. In corporis tractatione. Die tandem octavo elapso, proxime subsequenti sumetur sanctissimum Eucharistiae sacramentum et communi matutinae orationis tempore repeti poterit contemplatio de divino amore eam applicando ad sacram communionem.

Index Capitum hujus Tomi.

		PAG.
1	Compendium praxis Orationis mentalis ex lib. Exercit.	2
2	Praeludium ad exercitia	4
	Consideratio fundamenti	7
	Prior pars Considerationis finis	8
	Posterior pars Considerationis finis	9
3	De Naturalibus adjumentis ad finem nostrum	11
4	De mediis supernaturalibus	13
5	De Peccatis in saeculo admissis	14
6	Alia de eodem	17
7	Item de peccatis	19
8	De Peccatis in religione commissis	22
9	De fructibus Paenitentiae	24
10	De divinae gratiae Praestantia	25
11	De studio excolendae divinae gratiae con. tepiditatem	28
12	De 4. Novissimis De Morte	31
13	De discrimine inter sceleratorum et piorum mortem	32
14	De poenis quae praeeunt mortem et ejus articulo	33
15	De separatione animae a Corpore	34
16	Praeparatio ad mortem. Prima pars	35
17	Praeparatiônis secunda pars	37
18	De supremo judicio 1ª Pars	39
19	Secunda Pars	40
20	De poenis inferni	42
21	De iisdem poenis	43
22	De poena tactus	44
23	De foelicitate Beatorum	46
24	De eadem	48
25	Secunda hebdomada	49
26	De regno Christi Pars prima	52

27 Secunda Pars 54
28 Tertia Pars 56
29 De duobus vexillis 58
30 De tribus hominum classibus 60
31 De indifferentia 61
32 De instructione spirituali ad Medit. de 3 class. 63
33 De Indicatione sui ad Medit. eandem 64
34 De tribus gradibus humilitatis Primus 66
35 De observatione legum nostri instituti 68
36 Secundus gradus De veniali Peccato 69
37 In tertium gradum humilitatis 70
38 Tertia et quarta hebdomada 71
39 De emendatione vitae 71
40 Explicatio contemplationis ad amorem spiritualem in nobis excitandum 74
Distributio meditationum 76

Nihil obstat
A. DEGAND, can. cens. librorum

IMPRIMATUR :
Tornaci 13ª Decembris 1924
V. CANTINEAU
vic. gen.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

1908

13-14. **La Vén. Catherine de Francheville, initiatrice des Retraites de femmes,** d'après le P. Pierre Champion, S. J. P. Decuchy. 152 pp. 5 fr.

15. **Breve directorium ad danda utiliter Exercitia spiritualia,** d'après un manuscrit ancien inédit. 24 pp. 1 50

16. **Retraites de sourds-muets.** H. Jeanvoine. 30 pp. 1.50

17. **Ponterotto, maison de retraites pour les hommes à Rome.** Mgr. R. Schüller. 55 pp. 2 fr.

18. **Les corrections manuscrites des Exercices de saint Ignace.** A. Boone, S. J. 30 pp. 2.50

1909

19. **Les Exercices spirituels et la civilisation moderne.** L. Taparelli. S. J. 51 pp. 2.50

20. **Mgr d'Hulst et les Exercices de saint Ignace.** M.-F. Gibert. 42 pp. 4 fr.

21. **Une zélatrice des retraites, Maria-Antonia de San José.** J.-B. Couderc. 83 pp. 3 fr.

22. **Directoire pour servir à l'organisation des Retraites de départ.** L. Farsy 75 pp. 2.50

23. **De examine conscientiæ juxta Ecclesiæ PP., S. Thomam et FF. Vitæ communis.** H. Watrigant. 56 pp. 2 fr.

24. **Bibliographie 1907 - 1909.** H. Watrigant 48 pp. 2 fr.

1910

25. **La pratique des Exercices spirituels dans l'Ancienne Mission du Maduré.** L. Besse S. J. 45 pp. 2 fr.

26. **Sacra Tempe seu de sacro Exercitiorum secessu Exempla collecta.** P. Manrique 72 pp. 2.50

27. **Les retraites à Madagascar-Central.** C. du Coëtlosquet. 84 pp. 3 fr.

28. **Une Maison de retraites fermées à Nancy au XVIII^e^ siècle.** E. Bocquillion. 95 pp. 3.50

29-30. **Les Annotations des Exercices de S. Ignace.** P. Wamy, S. J. 80 pp. 3 fr.

1911

31. **La Retraite de Quimper et Victoire de Saint-Luc.** P. Debuchy. 96 pp. 3.50

32. **S. Charles Borromée et les Exercices de S. Ignace.** Mgr. A. Ratti 42 pp. Épuisé.

33. **Le P. Huby aux Indes ou le Miroir de l'âme chez les Protestants.** H. Hosten. S. J. 45 pp. 2.50

34. **Explication inédite des Règles d'Orthodoxie.** C. Judde. S. J. 30 pp. 1.50

35. **Duo antiqua Exercitiorum directoria.** Hoffæus et Ceccotti. S. J. 50 pp. 2.50

36. **Bibliographie 1910 - 1911.** H. Watrigant 45 pp. 2 fr.

1913

37-38. **Bellarmin et les Exercices spirituels.** X. Le Bachelet, 152 pp. 5 fr.

39-40-41. **Les Exercices spirituels à la naissance des Séminaires.** H. Watrigant. 132 pp. 4.50

42. **Contemplatio ad Amorem spiritualem.** Méditations inédites. 48 pp. 2.50

1914

43. **Quel est l'auteur de l' « Anima Christi » ?** 56 pp. 2 fr.

44. **Vie de Sœur Marie Bonaventura.** N. Lancicius. S. J. 58 pp. 2.50

45-46-47. **Des méthodes d'oraison dans notre vie apostolique.** H. Watrigant. 151 pp. 5 fr.

48. **Bibliographie 1912 - 1913.** H. Watrigant. 40 pp. 2.50

1914

49. **La Bibliothèque des Exercices et ses publications.** P. DEBUCHY. 40 pp. 2.50

50. **Saint Vincent de Paul et les Retraites fermées.** ANONYME. 100 pp. 4 fr.

51. **Les Retraites du Clergé.** MGR. R. DE LA PORTE, évêque de Berisa. 40 pp. 2 fr.

52-53. **Une ancienne copie des Exercices** (provenant du Bx Pierre Le Fèvre). Reproduction d'un manuscrit de Cologne du XVI^e siècle, avec préface historique. P. DEBUCHY. 96 pp. Épuisé.

54. **De l'étude pratique des Exercices de saint Ignace.** P. DEBUCHY, 52 pp. 2.50

1919

55. **Benoît XIV, Benoît XV et les Retraites spirituelles.** H. WATRIGANT. 60 pp. 2.50

56. **Le Bienheureux Jean Eudes, les Eudistes et l'œuvre des Retraites spirituelles.** C. LEBRUN, Eudiste. 72 pp. 2.50

57. **Quæstiones de Tribus binariis et de Tribus humilitatis modis.** H. PYDYNKOWSKI. S. J. 28 pp. 1.50

58. **Souvenir d'une Retraite à Athis.** J. HUBIN S. J. 40 pp. 2 fr.

59. **Quelques promoteurs de la méditation méthodique au XV^e siècle.** H. WATRIGANT 84 pp. 3.50

60. **Bibliographie 1914 - 1919.** H. WATRIGANT 34 pp 2 fr.

1920

61-62. **Mélanges Watrigant.** Etudes historiques et ascétiques, par divers auteurs 176 pp. 6 fr.

63. **Traité de la retraite.** V. HUBY (1681) 76 pp. 3 fr.

64. **La dévotion sensible, les larmes et les Exercices de saint Ignace.** J. J. NAVATEL. 20 pp. 2 fr.

65. **La prédication et les Exercices.** P. DEBUCHY. 28 pp. 2 fr.

66. **La pratique des Exercices dans l'ancienne Mission de Chine.** L. VANHÉE. 22 pp. 2.50

1921

67. **Sainte Marguerite-Marie et les Retraites spirituelles.** H. WATRIGANT, 64 pp. 2.50

68. **Lexique des Exercices.** J. VAN GORP. 48 pp. 1.50

69. **Retraites modernes en Chine.** L. VANHÉE. 44 pp. 1.50

70. **De Tribus humilitatis modis Quæstiones disputatæ.** 26 pp. 1.50

71. **Les Forteresses du Catholicisme.** J. ARCHAMBAULT. 112 pp. 4.50

72. **Bibliographie 1920 - 1921.** H. WATRIGANT et P. DEBUCHY. 25 pp. 1.50

1922

73-74. **Étude sur le texte des Exercices.** J. NONELL. 62 pp. 3 fr.

75-76. **Étude sur le texte des Exercices** (suite). J. NONELL. 62 à 225 pp. 3.50

77-78. **Jubilum S. J. seculare ob Theol. mysticam.** M. SANDAEUS. 106 pp. 3 fr.

1923

79. **L'Ascèse des Jésuites et la Mystique allemande.** M. MESCHLER. 32 pp. 3 fr.

80-81. **Mélanges.** Documents importants. H. WATRIGANT. 88 pp. 4 fr.

82. **Mélanges.** Documents importants (suite). 89 à 208 pp. 4 fr.

83. **Sœur Louise de Parménie.** Anonyme. 56 pp. 2.50

84. **Bibliographie 1922 - 1923.** H. WATRIGANT et J. DUTILLEUL. 32 pp. 1.50

1924

85. **De l'adaptation des Exercices spirituels.** H. WATRIGANT. 2.50

86-87. **Réunion d'œuvres.** Un exemple. 4 fr.

88. **Les Exercices spirituels pour le clergé.** Adaptation. 3 fr.

89-90. **Les Exercices spirituels pour les hommes d'affaires.** Utilité et adaptation. H. WATRIGANT. 5 fr.

Le Directeur-gérant HENRI WATRIGANT.
Imprimerie E. DELWARDE, Enghien (Belgique).

ALMA COLLEGE LIBRARY